





DIURNUM
SPIRITUALIUM EXERCITATIONUM

IN ORDINE SSS. TRINITATIS
REDEMPTIONIS CAPTIVORUM
Longo uſu receptarum
Novis quibusdam reflexionibus

AUCTUM.

Religioſis ejusdem Ordinis
IN PROVINCIA S. JOACHIMI

OBLATUM.



VARSAVIÆ

Typis S. R. Majeſtatis, MDCCLXXVI.

ex usu... F. Antonii a S. Laurentio
die 1 Aprilis 178[illegible]

SI duorum vel trium Sanctorum pio conſenſui omnia quæ popoſcerint, Dominus præſtanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi unam Obſervantiam pariter exequenti, & per Unum Spiritum concorditer ſupplicanti. S. Leo P. ſerm: de Orat:



BENEDICTA
SIT SANCTISSIMA TRINITAS.

Fr. Alexander à Conceptt. B. V. M. Ord: Disc: SSS. Trinitatis Red: Captivorum Provinciæ S. Joachimi per Poloniam & Lithvaniam Minister Provincialis.

Religiosis Ejusdem Provinciæ Filiis in Christo Dilectissimis, Salutem & Spiritus S. Consolationem.



SPirituales Exercitationes in quibus quotidie vestro emolumento dediti occupamini, solicitudinis duntaxat meæ, & usus Vestri gratia in unum codicem collectas Vobis offero. ac perinde *volo enim vos scire quam solicitudinem*

habeam pro vobis (a) cum *præter illa quæ extrinſecus ſunt inſtantia, mea quotidiana ſolicitudo* (b) non alia ſit, quam ut profectui Spirituali Operam impendentes una eademq; ſit omnium veſtrum Oratio, norma, & modus orandi, una proximorum ſalutem procurandi, una regularis vitæ officia obeundi ratio, atq;eum in finem hæc Congeſta, ne ſcilicet plurium Librorum evolutione gravati diſtrahamini, & in diverſas compræcandi formulas abeatis, ſed potius *uno ore honorificetis DEUM & Patrem Domini Noſtri Jeſu Chriſti* (c) in quo valete *& ſine intermiſſione Orate.* (d) Dabam ex Cænobio Noſtro Varſavienſi III. Nonas Junias Anno Domini MDCCLXXVI.

(a) *ad Colos.* 2. *v.* 1. (b) 2. *ad Cor.* 11. *v.* 28. (c) *ad Rom.* 15, *v.* 6 (d) *Thes.* 5. *v.* 7.

ELENCHUS
MATERIARUM
EXERCITIUM MATUTINUM.

PUNCTUM I.

PUNCTUM II.

PUNCTUM III.

EXERCITIUM DIURNUM.

PUNCTUM I.

PUNCTUM II.

PUNCTUM III.

EXERCITIUM MERIDIANUM.

PUNCTUM I.

PUNCTUM II.

PUNCTUM III.

EXERCITIUM VESPERTINUM.

EXERCITIUM NOCTURNUM.



IMPRIMATUR
Die 19. Junij 1776.
Joannes Aloysius Vitoldus
ALEXANDROWICZ.
Episcopus Dardanensis Officialis
Generalis Varsaviensis.




BENEDICTA SIT SS. TRINITAS

EXERCITIUM MATUTINUM.

PUNCTUM I.

De agendis diluculo.



Auditis Tabellis, aut aliter e somno excitatus, munias te signo Sanctæ Crucis in protestationem Fidei Christianæ, & recordando DEI Creatoris, Redemptoris, & Sanctificatoris tui in gratiarum actionem pro hisce beneficiis mox subjunge Antiphonam:

Benedicta sit Sancta Creatrix &c: *aut consvetum doxologium* Gloria Patri &c: *Deinde forma literas in fronte:*

J. N. R. J. *& dic:* Hic titulus triumphalis defendat me ab omnibus malis.

Sanctus DEUS, S. Fortis, S. Immortalis, miserere nobis.

Assumendo habitum S. cum possibili attentione dic Simbolum Apostol: Credo in unum DEUM *huic enim recte applicatur illud S. August: Ser.* 58. Ne dicatis dixi heri, dixi hodie, nunquid non quando surgis, vestis te, sic & commemorando Simbolum

Fidei, vesti animam tuam, ne forte eam nudet oblivio & remaneas nudus, ipsa fides & tunica est & lorica, tunica contra confusionem, lorica contra adversitatem.

Deinde flexis genibus ubi pulsum campanæ ad Salutationem Angelicam *audiveris dic eam devotè ad lucrandas Indulgentias, a tot Summis Pontificibus concessas, simulque renova* Solemnia vota Religionis *& quidem* ad V. *Angelus Domini*, Votum castitatis ad V. *Ecce Ancilla*, votum obedientiæ, ad V. *Et Verbum Caro factum est*, votum paupertatis & humilitatis, seu non ambiendi honores. *Post hæc facias* Examen conscientiæ, *& in actus diversos prorumpas, quos dum ego verbis exprimo, tu mente & magno fervore peragere assuescas.*

Actus Adorationis.

ADORO te Sanctissima Trinitas Pater Filius, & Spiritus S. tres Personæ & unus DEUS: in conspectu Divinæ Majestatis Tuæ dejicio me in abyssum mei nihili, & volo omni possibili modo etiam cum omnibus, qui Te adorant, & pro omnibus qui Te non adorant, adorare.

Actus Fidei.

CREDO firmissime in Te DEUM meum verum, unum & Trinum, Incarnatum, Remuneratorem, aliaque dogmata, propter summam veritatem Tuam, de qua nos per Ecclesiam Catholicam certificas.

Actus Spei.

SPERO fiducialiter DEUS meus omnipotens & infinite bonus, propter misericodiam Tuam, & merita Christi Domini, consequi vitam æternam per bona opera, quæ cum gratia Tua facere propono.

Actus Charitatis.

AMO Te DEUS meus propter ſummam & infinitam Bonitatem Tuam ex toto corde meo intenſive, & ſuper omnia appretiative, & paratus ſum mortem potius ſubire, atque omnia perdere, quam Te offendere. Et propter amorem Tui volo amare proximum ſicut me ipſum.

Hic perpendas omnes actiones & nocturnas poſt heſternum examen diſpoſitiones, an forte in aliquo non deliqueris, quod notandum foret pro confeſſione ſuo tempore facienda. Immo quamvis per gratiam DEI nulla culpa te innodatum inveniſſes; nihilominus de præteritis ante actæ vitæ peccatis defectibuſque dolendum erit, & eliciendus infra ſcriptus a Bened: XIII. in Append: ad Concil: Rom: 1725. celebratum *porrectus.*

Actus Contritionis.

DEUS meus cum ſis ſummum infinitum & perfectiſſimum bonum, amo Te ſuper omnia, & ideo me pænitet, ac ex toto corde doleo, quod Te toties offenderim peccatis meis, abominor ea, & deteſtor ſupra omnia mala cum maxima diſplicentia. Rogo humiliter veniam cum firmo propoſito, Tua gratia auxiliante, Te in poſterum non amplius offendendi, & occaſiones peccati proximas vitandi.

Actus Gratiarum Actionis.

GRATIAS Tibi ago infinitas DEUS meus pro innumeris beneficiis toti mundo, Sanctiſſimæ Humanitati Chriſti, Beatiſſimæ Virgini MARIÆ, Angelis Sanctiſque omnibus, collatis, & ſignanter mihi præſtitis, ſcilicet beneficio creationis, Redemptionis, Sanctificationis, Vocationis ad ſtatum Religioſum, Aſſumptionis ad miniſterium Eccleſiæ Illuſtrationis per gratiam & doctrinam, univerſiſque bonis tam ſpiritualibus quam corporalibus in

tota vita concessis, & quod hac nocte in peccatis non sim mortuus, quapropter in gratiarum actionem.

Actus Intentionis.

OFFERO Divinæ Majestati Tuæ in unione meritorum, vitæ passionis, & mortis JESU Christi Domini nostri, Beatissimæ Virginis MARIÆ. & OO. SS. ex nunc & pro semper omnia opera mea, tam parva, quam majora, libera & obligatoria, oris, cordis & facti. omnes motus animæ meæ & corporis, quæ omnia non sint indifferentia, sed ad te DEUS meus hac intentione ordinata, in recognitionem supremi dominii Tui, & ad vitam æternam promerendam, propter quam, & non secus, volo frui vitæ humanæ necessariis. Offero insuper omnia opera bona omnium hominum, qui Tibi placuerunt, placent, & placebunt, placerentque, si bona intentione fierent, ut labores rusticorum, squallores belligerantium, angores captivorum, dolores parturientium, pro quibus omnibus offero eorum respectiva opera, ut illis gratiam & meritum mihique partem meriti concedere digneris.

Actus Resignationis.

RESIGNO me in Sanctissimam voluntatem Tuam, paratus suscipere quascunque adversitates, quas mihi Paterna manus Tua immiserit, ad dandum gustum Beatissimo Cordi Tuo.

Actus Satisfactionis.

VOLO etiam omne illud, quod possum offerre in pœnitentiam & satisfactionem meorum peccatorum, & totius mundi.

Actus Oblationis.

PROPONO firmiter impendere omne esse meum, facultates ac vires meas, in servitutem & gloriam Tuam.

Actus Desiderii.

DESIDERO me totum, quantus sum. impendere, & procurare ut ab omnibus Tibi digne serviatur, atque omnes homines Te glorificent & ament DEUM Creatorem suum.

Actus Condonationis.

CONDONO omnes injurias iis omnibus, qui me aliquando offenderunt. Tu piissime JESU, qui pro inimicis orare nos docuisti miserere eis, & concede lumen, ut agnita culpa sua per pænitentiæ remedia Tibi Domino adhæreant.

Actus Deprecationis.

CONFUNDOR insuper, si quem læsi, cupioque hodiernis exercitiis favore illorum applicandis, in quantum possibilè est satisfacere, & quàm primùm potero veniam ab eis petere.

Actus Petitionis.

PROTEGE Domine summum Pontificem, omnesque Ecclesiasticos Ordines, nec non Superiores Religiososque Ordinis nostri, Imperatorem, Regem totumque statum civilem, Consangvineos, Benefactores, Parentes, amicos, adversarios, omnesque orationibus meis in communi vel in particulari commendatos, captivos item Christianos, afflictos infirmos, agonizantes, dextera gratiæ Tuæ, ut Te nullo peccato offendant, sed Tuam S. paternam benignitatem semper experiantur, ac tandem vitam pro mercede æternam consequantur.

Pro lucrandis Indulgentiis.

STATUO velle me participem facere omnium quantum possibile est Indulgentiarum per preces & actiones hujus diei; & illas applicare per modum suffragii pro animabus purgatorii, Parentum, Consagvineorum, Benefactorum, commendatorum, omniumque fidelium defunctorum.

Actus Protestationis.

PROTESTOR me non consentire, neque consensurum unquam, quantum in me est, in ullam rem, quæ fiat cum minima offensa Divinæ Tuæ Majestatis.

Actus Intercessionis.

TU Misericordissime DEUS adjuva me per intercessionem Beatissimæ Virginis MARIÆ Matris meæ dilectissimæ. Sanctorum Patronorum conversationis quotidianæ S. Michaelis Arch: S. Gabrielis Arch: S. Raphaelis Arch: S. Angeli Custodis, SS. Patronorum in Baptismo & Confirmatione, S. Joannis Baptistæ, S. Joannis Evangel: S. Patritii, S. Francisci Assinatis, S. Vincentii Ferrerii, S. Theclæ V. & M.

Sanctorum Patronorum profectus spiritualis; S. P. N. Joannis de Matta, S. P. N. Felicis de Valois, S. Francisci de Paula. S. Petri de Alcantara. S. Philippi Nerii, S. Francisci Salesii. B. Simonis de Roxas, omniumque Monachorum. Eremitarum, ac Sanctorum & Beatorum nostri, aliorumque Religiosorum Ordinum.

Sanctorum Patronorum Castitatis, S. Sebastiani M. S. Casimiri C. S. Stanislai Kostka.

Sanctorum Patronorum bonæ mortis, S. Josephi, S. Joachimi, S. Annæ S. Barbaræ, S. Onuphrii.

Sanctorum Patronorum in necessitatibus quotidianis S. Judæ Thadæi S. Erasmi, S. Blasii, S. An-

tonii, S. Caietani, S. Joannis Nepomnceni, S. Rochi, S Agathæ, S. Apoloniæ.

Sanctorum Patronorum nostri Ordinis. S. Agnetis, S Catharinæ, S. Paulini, S. P. Bernardi.

Sanctorum Patronorum Regni Poloniæ: S. Adalberti, S. Stanislai, S Hyacinthi, S. Ceslai, S. Joannis Cantii, B. Joannis de Dukla.

Sanctorum Patronorum studii: S. Joannis Chrysostomi, S. Hieronymi, S. Augustini, S. Thomæ Aquinatis, S. Bonaventuræ.

Sanctorum Patronorum hujus loci.

Sanctorum quorum SS. Reliquiæ hic asservantur.

S. Patroni Menstrui N.

Sanctorum quorum hodie diem festum colit Ecclesia.

Sanctorum illius diei, quo mihi nasci contigit, & mori restat.

Sanctorum quorum cultus necdum promovetur.

Sanctorum, quos felici morte defunctos, hodie feliciori DEUS æternitate donavit.

Sanctorum qui excelluerunt in amore DEI & MARIÆ omnisque cælestis Hierarchiæ, quam supplex oro, ut pro me misero intercedere dignetur.

Actus Consignationis.

CONSIGNO Tibi hodie, & in perpetuum, corpus & animam meam omnesque potentias meas, intellectum, voluntatem, & memoriam, omnesque sensus meos. In tua vulnera me projicio o JESU, ibi me reconde & defende, hodie & semper, donec mihi largiris gratiam videndi Te, & amandi in æternum. Amen.

Dic Orationem Dominicam.

Pater noster. *Cum attentione, magnæ siquidem res est efficaciæ sic precari, prout Christus docuit. Vel in honorem Sanctissimæ Trinitatis] ter eandem*

orationem. *cum* Ave Maria *repetas, post primum addendo* Gloria Patri qui nos creavit, *post secundum* Gloria Filio qui nos redemit *post tertium* Gloria Spiritui Sancto qui nos sanctificavit: Gloria Sanctissimæ & Individuæ Trinitati nunc & semper &c. *Vel dic* sex Pater & Ave *cum* duodecim Gloria Patri, & Credo *ad lucrandas Indulgentias. Tum denique exemplo* V. P. Cypriani a Matre DEI, *in memoriam trium potentiarum Beatissimæ Virginis Mariæ, ter* Salve Regina: *sive simul, sive (quod melius) exdividendo in tria spatia temporis, juxta trinum pulsum* ad Salutationem Angelicam *dari solitum.*

Fac intentionem absolvendi Horas Canonicas per orationem: Aperi Domine os meum ad benedicendum Nomen Sanctum Tuum, munda quoque cor meum ab omnibus vanis perversis, & alienis cogitationibus, intellectum illumina, affectum inflamma, ut digne, attente ac devote hoc officium recitare valeam, & exaudiri merear ante conspectum Divinæ Majestatis Tuæ. Per Christum Dominum nostrum Amen.

Domine in unione illius Divinæ intentionis, qua Ipse in terris laudes DEO persolvisti, has Tibi horas persolvo.

Si necdum orasti ante, ut plerique mox a principio diei facere consueverunt, hic subjunge devotissimum illum ab Ecclesia in Missa Festi Pentecostes *signatum, atque a Viris Literatis clarissimoque imprimis* Lud: Ant: Muratorio *in libello* de recta hominis Christiani devotione *commendatum.* & *sæpius usitatum Rhytmum* de Spiritu Sancto *ad varia ejusdem dona obtinenda per quam accommodum.*

Veni Sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.

Veni Pater pauperum, veni Dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.

In labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium.

O lux beatiſſima, reple cordis intima tuorum Fidelium.

Sine Tuo Numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.

Lava quod eſt ſordidum, riga quod eſt aridum, ſana quod eſt ſaucium.

Flecte quod eſt rigidum, fove quod eſt frigidum, rege quod eſt devium.

Da tuis Fidelibus, in te confidentibus Sacrum Septennarium.

Da virtutis meritum, da ſalutis exitum, da perenne gaudium. Amen.


V. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur.*
R. *Et renovabis faciem terræ.*
V. *Domine exaudi orationem meam.*
R. *Et clamor meus ad te veniat.*

Oremus.

DEUS, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum: purifica per infuſionem Sancti Spiritus cogitationes cordis noſtri, ut Te perfecte diligere, & digne laudare mereamur.

Illo nos igne, quæſumus Domine, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noſter JESUS Chriſtus miſit in terram, & voluit vehementer accendi.

Da nobis quæſumus Domine, perſeverantem in tua voluntate famulatum: ut in diebus noſtris & merito & numero populus tibi ſerviens augeatur. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium qui Tecum vivit & regnat &c.





PUNCTUM II.

De Oratione Mentali.

Elevata mente cum DEO agere magni prorsus momenti res est, oratione vocali longe præstantior, & quemadmodum anima vivificat corpus, ita sententia D. Caroli Boromei *orationem vocalem mentalis, ea scilicet, quæ non voce quandoque aliena a mente, sed interiore animæ potentia intellectu scilicet nusquam distracto circa DEUM resque Divinas occupatur, & interno ac familiari colloquio absolvitur.* Meditatio, *ait* S. Aug: *lib: de Spiritu & anima cap:* 49. parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio vero perficit orationem.

Hæc ubivis locorum institui potest. bona est in abscondito & clauso supra se ostio. melior tamen in communi peracta dicente ipsomet Christo Salvatore *Math:* 18. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Et* S. Chrysostomus *prædicat*: esse in oratione cum Fratribus plus aliquid, videlicet concordiam, conspirationem am ris conjunctionem, & charitatis clamorem felici societate, ex qua orationes infirmiores se simul complexæ validiores in cælum evehuntur. *Ad hoc exercitium orationis mentalis in communi hortatur etiam* Benedictus XIV. *in Bulla incipiente:* Quem admodum *sub die* 16. Xbris 1746. *qua tam docentibus & addiscentibus methodum orationis mentalis, quam ipsam orationem mentalem peragentibus certas conceait Indulgentias.*

Situs corporis modestus & devotus & genibus flexis est eligendus, & si præ debilitate, quæ impedire consvevit, surgendum esset. id fiat magna cum modestia, & animo redeundi ad priorem situm.

MODUS MEDITANDI.

Ad mentem Sancti Franciſci Saleſii Epiſcopi Geneuenſis.

ORATIO mentalis tribus partibus conſtat

- Præparatione, quæ tres actus continet, puta
  1. Siſtere ſe coram Deo.
  2. Poſtulare gratiam bene precandi.
  3. Rem de qua meditandum, ſibi ob oculos ponere.
- Meditatione, quæ alio nomine *corpus orationis* dicitur: & hæc item tres actus habet.
  1. Diſcurſu ac conſiderationibus uti in rem propoſitam.
  2. Pios affectus elicere
  3. Propoſita ſtatuere vel de bono agendo vel de malo vitando.
- Concluſione, quæ tres etiam actus habet.
  1. De progreſſu orationis gratias Deo referre
  2. Quæ propoſueris eidem offerre.
  3. Poſtulare gratiam præſtandi quæ propoſueris.

PRÆPARATIO.

REmota diſponit ad orationem, ſed non ingreditur eandem & conſiſtit in his tribus: 1. In deſiderio proficiendi in vita ſpirituali. 2. In frequenti renovatione per vivam fidem Præſentiæ Divinæ. 3. in prælectione librorum ſpiritualium. Optimum erit ſi præviè 1. legatur ipſa materia meditationis,

aut saltem cadens in diem ex Elencho ad mentem revocetur materia. 2. ad quem finem tendat, observetur. 3. Puncta, motiva, rationes, aliaque media disponantur.

Proxima præparatio est quæ jam ingreditur orationem consistit in tribus. . In vivaci excitatione præsentiæ Divinæ per rejectionem omnium aliarum cogitationum, unicè se sistendo quasi ad faciem DEI per humiliationem coram DEO ex. gr. *Adoro Te o altissima Deitas & vilifico me coram Te. Quis sum ego Domine ut loquar ad Te? ut audiam quid loquatur in me DEUS* 2. In invocatione fervida Divini auxilii contra tentationes ac distractiones animi ex. gr. *Te invoco, Te imploro, spes mea, virtus mea, vita mea, DEUS adjuva me, ut serio de te cogitem, ut digne Te laudem, Pater æterne corrobora memoriam meam; Fili DEI illumina mentem meam, Spiritus Sancte inflamma voluntatem meam.* 3. In applicatione mentis ad materiam de qua instituenda est meditatio.

ELENCHUS MATERIARUM.

PRO ORATIONE MENTALI

DIE DOMINICA MANE

De Oratione Christi & Agonia.

Thema: *Oravit JESUS tertio & dixit: Abba Pater si possibile est, transfer hunc calicem a me, verùm non mea, sed Tua voluntas fiat*. Lucæ 22.

Finis. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Inquit Princeps Apostolorum Petrus *ep*, 1. *Cap*. 2. Igitur

exemplo Christi. I. In afflictionibus diutius orandum. II. In omnibus Divinæ voluntati se conformandum. III. Obedientia magni facienda, quam virtutem Christus prætulit suæ vitæ juxta *Bernard:*

Reflexio. I. An forte res arduas & difficiles sine oratione non aggredimur. II. Quomodo suscipimus ea, quæ nobis apparent contraria. III. An & quomodo ad nutus Majorum obedimus.

Propositum. I. Frequentius & ferventius orandi. II. Nihil aliter nisi conformiter ad DEI voluntatem desiderandi. III. Magni obedientiam faciendi.

DIE DOMINICA VESPERE.

De Beneficio Vocationis ad Statum Religiosum.

Thema. *Quos vocavit, hos & justificavit.* Rom: 8

Finis. Curandum sollicite ut vocationi nostræ respondeant opera bona, juxta doctrinam S. Petri epist: 2. cap. 1. *Fratres satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

Reflexio. I. Certum est ex doctrina D. Bernardi quod *in religione homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, quiescit securius, irroratur crebrius, purgatur citius, moritur confidentius, muneratur copiosius:* nihilominus ex dono vocationis, non semper fluit justificatio, consequenter nec glorificatio. II. Ut gratiam Vocationis subsequatur justificatio, justificationem glorificatio, obligatur Religiosus, & quidem sub mortali juxta communem Theologorum sententiam cum D. *Thoma* tendere ad perfectionem per media suæ Religionis.

Propositum. Tendendi ad dictam perfectionem per observatiam. I. Mandatorum DEI & Ecclesiæ. II. Votorum emissorum in professione III. O-

mnium Regularum Conſtitutionum, & laudabilem conſvetudinem ſuæ Religionis.

FERIA SECUNDA MANE.
De Captivitate Chriſti.

Thema. *Tunc acceſſerunt & manus injecerunt in Eum, & tenuerunt eum*, Joan: 18.

Finis. Chriſtus ligari voluit, ut nos peccatorum vinculis ſolveret, & ex dæmonis laqueis expediret.

Reflexio. Chriſtus inſtituit pænitentiæ Sacramentum, ut a peccatis ſolvamur, & tamen ipſi nos per relapſum illaqueamur dæmoni.

Propoſitum. I. Vitandi hunc vel illum defectum II. Removendi occaſiones. III. Continuam pro peccatis anterioribus faciendi pænitentiam.

FERIA SECUNDA VESPERE.
De Gravitate Peccatorum.

Thema. *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt.* A. Joan: c. 3.

Finis. Cum ex ſententia D. Pauli ad Galatas c. 4. *non ſimus ancillæ filii ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberavit*, & vocando ad ſtatum Religioſum in libertatem filiorum DEI aſſeruit, cavendum ſummopere ne per peccatum mancipia diaboli efficiamur.

Reflexio. I. Supra ſtatum vitæ anteactæ. II. Supra obligationes ſtatus præſentis. III Supra textum Malachiæ Proph. cap. 2. *Et nunc ad vos mandatum hoc o Sacerdotes! Si nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris. Vos receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege.*

Propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis.

Propositum. I. Exemplo S. *Casimiri*, malle mori quam fœdari. II. Proximos, quantum in te erit, a peccato ad meliorem vitam reducere. III. Pænitentiam agere non solum pro peccatis propriis, sed etiam alienis, prout amore DEI & proximi faciebant plures Sancti.

FERIA TERTIA MANE.

De Flagellatione Christi.

Thema. *Cum tertio Pilatus protestaretur nullam se causam in eo invenire, & Judæi clamarunt, crucifigendum JESUM, apprehendit Eum & congregata tota cohorte flagellavit.* Mar: 15.

Finis. Si vere volumus esse Filii DEI, libenti & alacri animo suscipiamus omnia flagella a Paterna illius manu in nos immissa. Nam *quem diligit Dominus castigat; flagellat omnem filium, quem recipit, quis enim filius, quem non corripit Pater?* ad Hebr: cap: 12.

Reflexio. I. Christus innocens, imo pura sanctitas, quanta patitur! & ego tot scelerum conscius vellem nihil adversi tolerare, cum tamen *multa* debeant esse *flagella peccatoris* ut habetur *Psalmo* 31. II. Qui cum hominibus justis non flagellantur a DEO, communiter solent esse superbi, iniqui, & impii juxta *Psal:* 27. Talis forte sum ego, aut ero, si flagella de manu Domini mei libenter suscipere detrectavero!

Propositum. I. *Ego autem in flagella paratus sum.* Psal: 37. Hic ure, hic seca, hic mihi non parcas, dummodo in æternum parcas. *S. August:* II. Flagellis a DEO immissis, quæ patienter feram etiam voluntarias corporis afflictationes superaddam.

FERIA TERTIA VESPERE.

De Miseriis Vitæ Humanæ

Thema *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur miseriis, qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra & nunquam in eodem statu permanet.* Job: 24.

Finis. Discamus ex hisce verbis esse nos exules & peregrinos super terram multis viarum incommodis expositos, *non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* ad Hæbr: cap: 13.

Reflexio I. Super illa impior: verba expressa a Salomone cap: 5. *Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam nuncius procurrens, & tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus cum præterierit, non est vestigium invenire: aut avis quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris illius aut tanquam sagitta in locum destinatum. Ita & nos nati continuo desinimus esse, & nullum virtutis vestigium voluimus ostendere.* II. Super Epist: 1. B. Joan. Apost. cap. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt.* Et *mundus transit & concupiscentia ejus.* III. Supra versum Christiani Poetæ *Omnia prætereunt præter amare DEUM.*

Propositum. I. Nullis vanitatibus mundi se se oblectandi, quin potius eas flocci pendendi cum Ecclesiast: cap: 1 *Vanitas vanitatum. & omnia vanitas,* II. Adhærendi DEO per votum castitatis & paupertatis, omnemque spem suam in eo tanquam summo & unico bono, ejusque amore & servitio collocandi cum Regio Psalte: *Mihi autem adhærere DEO bonum est, ponere in Domino DEO spem meam* Psal: 72.

FERIA

FERIA QUARTA MANE

De Coronatione Christi.

THema. *Exivit JESUS portans spineam coronam, & dixit eis Pilatus: Ecce homo.* Joan. 19.

Finis. Spinæ non deliciæ in Religione appetendæ, quia *non decet sub spinoso capite membrum esse delicatum.* S. Bern.

Reflexio. Quæsivit in spiritu Propheta Salvatorem: *quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Zachar. 13. Quod si nos inquireremus; quid sibi velint hæc probrosi Regis insignia? responderet utique Christus, esse effecta peccatorum nostrorum capitalium: vestem ei detraxit nostra avaritia, purpureum vestimentum injecit effrons luxuria: coronam imposuit superbia: spinas, os, cerebrum, & lingvam usque penetrantes, infixerunt ira, gula, atque invidia: levem denique pro sceptro arundinem ingessit, nostra in rebus Divinis acedia & in bonis propositis inconstentia.

Propositum. I. Vitandi omnia peccata capitalia, & præ aliis frequentiorem forsitan acediam II. Virtutes eisdem vitiis oppositas exercendl, & præsertim rebus ad DEUM animæque salutem pertinentibus quam diligentissime insistendi, hæc namque tria: *cordis tepiditas, mentis evagatio, & corporis acedia, maxime DEO displicent*; prout legimus in Vita S. Andreæ Avellini.

FERIA QUARTA VESPERE

De Morte.

THema. *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capitur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.* Ecclest: 3.

Finis. *Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.*

Reflexio I. *Finitur cibus, finitur vestis,* inquit S. Aug. Ita est, finitur totum, finitur brevi, sola duntaxat manebit æternitas, & quomodo pro hac laboramus? II. *Tempus breve est, reliquum est,* ergo *dum tempus habemus, operemur bonum,* monente Apost. ad Gal. cap. 6. III. Quare cum filiis Jacob *negligimus* comparare nobis *necessaria, ut possimus vivere* in æternum, *& non consumamur inopia.* Gen. 42.

Propositum. I. Seligendi quolibet mense (si non qualibet septimana) unum diem, quo fiat exacta ad mortem præparatio. imo vir ille admirabilis S. Ephræm Syrus ter quolibet die faciendum id svadet. *Consil. de Vita Spir. c.* 51 II. Ad sonum cujuslibet horæ dicendi devote *Ave MARIA* cum speciali attentione ad ea verba: *nunc & in hora mortis nostræ.* III. Sumendi Sacram Synaxim, toties quoties sumenda erit, per modum Viatici. IV. Revocandi sæpe in mentem ultima verba S. Hilarionis Abbatis in supremo spiritu constituti: *Egredere, quid times? egredere, anima mea quid dubitas: septuaginta pro pe annis servisti Christo, & mortem times?* V. Relegendi, (si vacat) punctum vitæ Joannis Eleemos. & aliorum Sanctorum, quo ad memoriam mortis, cum præsertim S. Philippus Nerius Lectionem vitæ Sanctorum summopere commendet, & jure optimo existimet lectionem ejusmodi multum conferre ad profectum Spiritualem.

FERIA QUINTA MANE.
De Condemnatione Christi.

THema. *Quærebat Pilatus dimittere eum, Judæi autem clamabant dicentes: si hunc dimittis non es amicus Cæsaris. Tunc ergo tradidit eis Illum, ut crucifigeretur.* Joan. 19.

Finis. Duo hic nobis suggeruntur I. Fuga respectus qui respectus, super amicitiam Cæsaris induxit Pilatum ad condemnandum Christum innocentem II. Cura habendæ rectæ intentionis, agend scilicet omnia propter solum DEUM, quem si Pilatus præ oculis habuisset, neutiquam Christum condemnâsset. Nos porro O! *quam magnam mercedem haberemus, si omnia pura ac recta intentione propter DEUM faceremus*, quemadmodum teste P. Dan. Pawłowski *in libello Exertitiorum* quidam Religiosus Vilnæ defunctus & post mortem alteri apparens, hæc eadem verba retulit.

Reflexio. I. Malitia respectus humani, hinc liquet quod respectus ille nequeat cohærere cum servitute & amicitia DEI, nam Doctor gentium *ad Galatas*. 1. ita scribit: *Si hominibus placerem Christi servus non essem*. & Jacobg Ap *cap*. 4. sic ait. *quicunque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus DEI constituitur* II. Bonitas Intentionis rectæ non solum probatur paginis utriusque testamenti de simplicitate Jobi & oculi, sed etiam patet ex hoc, quod ejus defectu opus bonum cessat esse bonum, evaditque malum & hypocrysis Pharisaica, absit ut meis (si quæ sunt) bonis operibus ob respectum hominum immiscenda. III. Discrimen inter Rectam & pravam Intentiomem notetur ex verbis August. Tract I. in Ep Joan. *Non quid faciat homo considerandum est, sed quo animo, & qua voluntate faciat. Facta est traditio a Patre, Facta est traditio a Filio, facta est traditio a Juda* (addamus & a Pilato) *Hoc fecit Pater & Filius in charitate; fecit autem hoc Judas in proditione. In eodem facto invenimus Deum Patrem, in quo invenimus Judam* (& Pilatum) *Patrem benedicimus Judam & Pilatum detestamur, benedicimus charitatem, detestamur iniquitatem*.

Propositum. I. Nihil boni ob respectum aut vituperia & irrisiones hominum in suis statebris mendacium omittendi, quemadmodum facien-

bat David Psal. 34. *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio: Humiliabam. in jejunio animam meam.* II. Nihil mali, eó quod plures sic faciant, operandi, ne alias quadret in nos illud D. Hieronymi: *Remedium pœnæ suæ arbitrantur si nemo sit sanctus, si turba sit pereuntium, si multitudo peccantium.* III. Omnes actiones, quam vis alias ex seipsis indiffererentes ad unicam DEI gloriam referre, & ex puro ejus solius amore operari: nam; ut recte dixit August. *Minus Te amat, Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter Te non amat.*

FERIA QUINTA VESPERE

De Judicio Finali.

THema. *Cum venerit Filius hominis in Majestate sua congregobuntur ante Eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut Pastor segregat oves ab hœdis: & statuet oves quidem a dextris &c.* Math. 25.

Finis. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi. ut referat unusquisque propria corporis. prout gessit sive bonum, sive malum.* 2. Cor. 5. En finem Extremi Judicii. præmium scilicet, aut pænam corporum reuniendorum animabus,

Reflexio I. *supra Thema* In qua tandem ero tunc parte, dextrane an sinistra, num inter agnos an veró inter hædos ego inveniar? II *supra Finem* Hoc meum corpus, quod adeo delicate tracto, habebitne illas singulares dotes corporibus Beatorum proprias, videlicet *impassibilitatem, subtilitatem agilitatem, & claritatem;* an vero potius ob delicias & voluptates ei concessas erit pabulum sempiternum ignis infernalis juxta illud Apoc. 18. *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* III. supra *meritum actionis.* Reprobi non

ſolum damnabuntur ob patrata mala, verum etiam ob omiſſa bona opera juxta verba Chriſti Math. 3. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum. excindetur, & in ignem mittetur.* & quæ tandem opera bona ego feci, quos fructus in vinea Domini hactenus protuli? *Qualem me inveniet DEUS in meo noviſſimo die, talem me judicabit in ſuo noviſſimo die*, ſecundum. Auguſt. Quid ſi hodie aut die craſtino moriendum foret, quid agerem, quo me verterem, qualem ſententiam expectarem?

Propoſitum I. Imitandi D. Hieronymum de ſe quondam ita dicentem. *Quoties diem illum* (decretorium) *conſidero, toto corpore contremiſco, ſive enim comedo, ſive bibo, ſive aliud aliquid facio, ſemper videtur tuba illa terribilis ſonare in auribus meis: ſurgite mortui venite ad judicium.* II. Sæpe & ſerio ſemet-ipſum examinandi, in ſeipſum animadvertendi, cauſâ tremendi Divini iudicii evitandi, *Quod ſi nos metipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*, inquit Apoſt: 1. Cor: 11 in quem locum ſic Chriſoſt: *Non vis a DEO caſtigari nec in hac nec in altera vita, ſis judex tui ipſius, rationes a te exige, te reprehende & corrige. III.* Eadem de cauſa, neminem judicandi conformiter ad verba Chriſti Luc. 6. *Nolite judicare & non judicabimini.* Expertus eſt hujuſce medii efficaciam Religioſus ille laude neminem judicandi præſtans, quamvis alias minus fervidus, de quo Baron ad Ann. 599. & ex eo Lohner Rodericius. &c.

FERIA SEXTA MANE.

De morte Chriſti.

THema. *Et inclinato capite tradidit ſpiritum* Joan. 19.

Finis. *Omnis figura Ejus amorem ſpirat, & ad redamandum provocat, caput inclinatum, manus expanſæ, pectus apertum.* Brev. Rom.

Reflexio I. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi* retribuit inquam *bona pro malis*. juxta August. *Calicem salutaris id est, tribulationis & pœnitentiæ: quem Salvator meus pro me bibit*, juxta Hug. Card. Reddam amorem pro amore, sangvinem pro sangvine, imo vitam ipsam, si fuerit opus, pro vita. *Semper* cum Paulo *mortificationem Christi in corpore meo circum feram*, *ut sic adimplendo ea quæ desunt Passionum Christi in carne mea* patienti Christo compatiar, ut cum eodem conglorificer: *Certa namque atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ Passionis* S. Leo. Ser: de Quadr: II. Præ horrore mortis Christi Velum Templi scissum est, terra & petræ scissæ sunt, neque tamen, proh dolor. cor meum lapideum scinditur ad pænitentiam! Sol obscuratus est, & monumenta aperta sunt & ego, cujus amore Christus tanta passus, & mortuus est, neque eidem compatior, neque resurgo a peccatis!

Propositum I. Imitandi Christum crucifixum juxta illud Exod. 25. *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est:* Imitandi, inquam, Christum opproria & irrisiones sustinentem, salutem animarum sitientem, pro inimicis orantem, nudum & pauperem in cruce morientem. II. Uniendi opera bona cum meritis Passionis Christi. III. Amaram ejusdem Passionem frequenter atque devote meditandi, ejusque meditationem aliis persvadendi ex motivo compatiendi imprimis Christo passo, deinde vero emolumenti proprij, nam ex sententia B. Alberti M. Tract. de Missa *Simplex recordatio vel meditatio Passionis Christi plus valet, quam si quis per annum qualibet feria sexta in pane & aqua jejunasset, vel per annum qualibet hebdomomada se usque ad effusionem sangvinis flagellasset, aut quotidie integrum Psalterium recitasset.*

FERIA SEXTA VESPERE.

De Inferno.

Thema. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Math. 25.

Finis. *Descendant in infernum viventes, ne videlicet descendant morientes.* S. Bernard. de vita solitaria.

Reflexio. *super Thema.* Ignem æternum solis angelis reprobis paravit DEUS. & quid aliud nisi regnum cælorum paravit hominibus, pro quibus Christus passus & mortuus est. Quid ergo abutens Christi passione dicam ad hæc nisi exclamem cum August, *Domine, qui Tibi non servit, quia creatus est infernum meruit, sed qui non servit Tibi, quia redemptus est, meretur. ut novus pro ipso infernus fiat,* II. Ex verbis S. Teresiæ: *In æternum, in æternum. cruciari: in æternum lætari, sine fine dolere, perpetuo gaudere.* III. Ex Odis de æternitate. *Quo me vocas æternitas Stateræ veritatis, quid me doces æternitas magistra sanctitatis? Æternus est, æternus est Rex ille qui minatur: Infernus est, infernus est res illa, quam minatur.*

Propositum. I. Cogitandi sæpius de æternitate cum Davide dicente Psal. 76. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* simulque dicendi cum August. *hic ure, hic seca, modo in æternum parcas.* II. Abnegandi propriam voluntatem & ad nutum Majorum parendi. Sic enim pænæ inferni evitantur, ex doctrina D. Bernardi *cesset propria voluntas & infernus non erit.* Ser. 3. de resur. Dom. III. Frequentandi varia opera pænitentiæ sic enim inquit August. *Puni tu, aut puniet DEUS.* & Tertul. de pænit. *Inquantum tibi non peperceris, in tantum tibi parcet DEUS.* Nonne igitur melius est peccata castigatione volun-

taria cohibere, & temporaliter potius macerari, quam ſuppliciis deputari æternis. *Eccl.* Paulus Apoſtolus quamvis alias *vas electionis* ab ipſomet Chriſto appellatus, tot gratiis & meritis ornatus, in tertium uſque cælum raptus, &c. nihilominus rigidam exercuit pænitentiam: *Caſtigo* inquit, *corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* 1. Cor. 9. Et ex doctrina Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 9. *Tota vita Chriſtiani. perpetua debet eſſe pœnitentia.*

SABBATHO MANE.

De B. V. M. ſtante ſub Cruce.

THema. *Cum vidiſſet JESUS Matrem & Diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier, ecce Filius Tuus. Deinde dicit Diſcipulo: ecce Mater Tua.* Joan. 19.

Finis. Conſtans piorum & ſignate B. Alberti M. S. Antonii & S. Bernardini ſententia eſt, his verbis Redemptoris noſtri omnes prædeſtinatos Sanctiſſimæ Matri in Filios commendatos fuiſſe, ut Eam tanquam Matrem venerarentur, & ad eam in ſuis neceſſitatibus tanquam filii recurrerent.

Reflexio. I. Poſſumne in veritate dicere id, quod noſter Polonus D. Stanislaus Koſtka cuidam Patri reſpondiſſe legitur: *Quid quæris Pater, eſt mea Mater.* II. Chriſtus Joannem virginem Virgini in filium commendavit: igitur nullus verus MARIÆ filius, niſi caſtus. III. Chriſtus in cruce moriens Matrem ſuam non vocat *Matrem* ſed *mulierem*: ut diſcamus, qui in Religione per abnegationem propriæ voluntatis *Chriſto confixi ſumus cruci*, non multum affici Parentibus & Conſangvineis, imo eorum quodammodo obliviſci juxta illud Pſalmo 44. *Obliviſcere populum tuum & domum Patris tui.*

Propoſitum. I, Conſignandi ſe MARIÆ ſi non in Filios cum Joanne, ſaltim cum Odilone Abbate

multisque aliis in mancipia II. Exhibendi Eidem quotidie aliqua pietatis obsequia a Viris Sanctis ac piis exhiberi solita, passimque in Libris Asceticis annotata III. Imitandi aliquas virtutes præsertim Eidem characteristicas, ut castitatem saltim, si non virginitatem, qua (scilicet virginitate) illa Deo placuit & humilitatem, qua Divinum Verbum in utero suo concepit juxta Bernardum.

SABBATHO VESPERE.

De Cœlesti Gloria.

THema *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt Illum* I. Cor. 2.

Finis. *Beati qui habitant in domo Tua Domine: in sœcula sœculorum laudabunt Te*. Psal. 83.

Reflexio. Qui nam habitaturi sint in domo Domini, consequenter fruituri gaudiis illis a DEO præparatis. satis clare expressit David *Psal.* 14. recensendo homines immaculatos, justos, veraces, absque dolo &c. sumne ego ex eorum numero?

Propositum. I, Habendi magnam curam & rationem temporis fructuose expendendi, *in eo siquidem potest homo lucrari veniam, gratiam & gloriam*. Et: *Tempus tantum valet quantum DEUS, quippe in tempore bene consumpto comparatur DEUS*. S. Bernardinus S. n. Fer. 4 post Dom. 1. Quadr. II. Agendi vitam rigorosam & mortificatam, quæ quantum S. Petro de Alcantara profuit ad gloriam, testatur ejus vita. III. Insistendi actibus heroicis, nam: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Math. 11. IV. Studendi habere signa prædestinationis, inter quæ numeratur tenerrimus cultus B. V. MARIÆ: *Nihil*. enim (inquit Bernard. ser. de Nat. V.) *habere nos DEUS voluit, quod per* MARIÆ *manus non transiret*.

Et S. Germanus Patr. Conſt. ſer. de zona B. V. ait: *Nullus eſt qui ſalvus fiat niſi per Te o Virgo Sanctiſſima.* V. Petendi a DEO frequenter & ferventer (patente præſertim Sanctiſſimo & ſub tempus Elevations in Miſſa) donum finalis in bono perſeverantiæ. Nam ex una parte Apoc. 2. dicitur: *Eſto fidelis uſque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.* Ex altera parte D. Aug. de dono perſev. c. 16. ſic ſcribit. *Conſtat DEUM alia etiam non orantibus, ſicut initium fidei, alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam.* Ad eam petendam juvare poterit punctum ultimum devotiſſimæ orationis *Da mortem præveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam, Paradiſum obtineam.*

MEDITATIO.

QUæ eſt ſecunda pars orationis mentalis conſiſtit in tribus: 1. In conſideratione myſterii ſeu materiæ de qua eſt meditatio per examen circumſtantiarum ejuſdem rei: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando,* ut deveniatur aut formetur ſcopus ſeu finis, in quo nos inſtruere talis materia prompta eſt. 2. In Reflexione ſalutari ſuper jam conſideratis comparando ad ſe, & ſuos mores, actus, ſtatum & obligationes. 3. In propoſitis ſtatuendis de bono ſequendo, malo fugiendo, quod fit per pios affectus ſeu motus voluntatis excitatos ab intellectu jam illuminato, hi affectus præcipue ſunt *admirationis, gratitudinis, compaſſionis, confuſionis, doloris, deſiderii, gaudii, timoris &c.* ex quibus ceu ignis ex ſcintillis debent erumpere actus ſeu propoſita *amoris, laudis, gratiarum actionis, deprecationis, petitionis. oblationis, reſignationis, humiliationis &c.* in executionem quorum aliquid omnino adnotetur explendum.

CONCLUSIO.

QUæ eſt tertia pars orationis mentalis, conſiſtit in tribus: 1. In gratiarum actione DEO pro ſucceſſu meditationis, ſcilicet quod ab Eo pii affectus & bene agendi conſilia ac propoſita conceſſa fuerint, hæc variis formis fieri poteſt juxta lumen cæleſte, atque ex multorum Aſcetarum praxi etiam per orationem Dominicam. 2. In oblatione propoſitorum particularium meditationis tempore conceptorum, & illorum una cum meritis Chriſti, per interceſſionem B. V. M. Sanctorumque omnium. DEO conſecrandorum. 3 In petitione Divini auxilii pro adimpletione propoſitorum conceptorum, & oblatorum, quæ iterum per Chriſti merita & interceſſionem B. V. M. Sanctorumque Omnium inſtitui poteſt. His peractis continuentur Reflexiones ſuper actis in meditatione & ſuper propoſitis confirmandis, quodque erit juxta Apoſt. ad Theſ. 5. *ſine intermiſſione orare*.

SCIENDA.

1. PRæſcriptas omnes meditandi rationes ac formulas, parum profecturas, niſi DEI gratia intercedat, non enim induſtria humana ſufficit ad producendum aliquem pium affectum, niſi movente Spiritu Sancto, cum etiam ipſa oratio ſit donum DEI.

2. Si quo in puncto videris ſpirituali ſenſu vehementius te moveri, non illico tranſilias ad aliud, ſed in eo immorare, donec guſtui ſatisfeceris; interim cave, ne actu reflexo de hoc ſuperbias, imo cum ſumma humilitate quaſi non tuum, ſed conceſſum deſuper donum proteſteris.

3. Si contingat in oratione omni guſtu ſolatioque deſtitui, non ideo animum dejicias, ſi enim tua

culpa id acciderit, quia imparatus accessisti, aut materiam meditationis distractus non hausisti, humilia te. culpam agnoscendo, & spem habeas Divini auxilii serio te ad meditandum accingendo. Si vero non tua culpa, cogita permissum a DEO, ut discas donum DEI esse contemplationem, vel, ut scias te probari a DEO, num etiam in rebus spiritualibus tibi intendis, satisfacere magis, quam DEO, ex cujus puro amore spirituales exercitationes procedere debent.

4. Distractiones te invito si obrepant, non tristeris, sed ubi adverteris te illis distrahi, resiste, licet sæpius redeant; non minus enim grata erit meditatio cum labore, quam facili devotionis sensu peracta. Palladio referenti evagationes suæ mentis, atque ideo locum mutare, & orationem abrumpere cogitanti Macarius Alexandrinus persvasit, ne id faceret. quin potius tentatori diceret, quod quam vis nesciret facere orationem, sciret saltim amore Christi custodire suum oratorium & parietes. *Croiset. 2. Jan.*

PUNCTUM III.

De agendis in Choro.

SI meditatio facienda est, ingrediendo Chorum per aquæ benedictæ aspersionem venialium noxarum ora remissionem, atque genuflexus una cum aliis invoca auxilium Spiritus Sancti. Veni S. Spititus &c.

V. Emitte Spiritum Tuum & creabuntur.

R. Et renovabis faciem terræ.

Oremus.

DEUS, qui corda Fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum R. Amen.

Tempore Paschali ad finem Antiph. & V. *additur* Alleluja. *Et a Vesperis in vigilia Pentecostes ad Vesperas sequentis Sabbathi dic in oratione:* Deus qui hodierna die corda Fidelium &c.

Quando legitur meditatio, omni adhibita diligentia capias materiam, & scopum ad quem tendit observa, ut ex hac possis formare tuam orationem, sin minus hoc feceris, aut lecta meditatione chorum intraveris, assume materiam in Elencho porrectam, sic enim in materia cum cæteris Fratribus convenies, ut communis orationis meritum habeas.

Secundum datam methodum peracta meditatione imploratur Divinum auxilium proposita concepta in oratione, opere adimplendi.

Sub tuum præsidium &c.

V. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix.
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

FAmulorum tuorum quæsumus Domine delictis ignosce, ut qui Tibi placere de actibus nostris non valeamus, Genitricis Filii Tui Domini nostri intercessione salvemur. Omnes Sancti Tui quæsumus Domine nos ubique adjuvent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, & pacem tuam nostris concede temporibus, & ab Ecclesia Tua cunctam repelle nequitiam: iter, actus & voluntates nostras, & omnium Famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: Benefactoribus

noſtris ſempiterna bona retribue, & omnibus Fidelibus defunctis requiem æternam concedo. Per Chriſtum Dominum noſtrum Amen.

Tempore Pashali, in fine Antiph. & *V. Additur* Alleluja.

DE HORIS CANONICIS

RECitandis, *ſcias hanc legem eſſe Eccleſiæ* in Conc. Later. ſub Innocentio III. cap dolentes: *latam & in conſcientia obligantem* Ut Divinum officium nocturnum pariter & diurnum quantum eis dederit DEUS, ſtudioſe celebrent pariter & devote: *ubi per hanc vocem* ſtudioſe, *externa ac verborum: & per vocem* devote *interna & cordis injungitur attentio*. Concil. Trident. ſub Pio IV. Seſs. 24 Cap. 12. *præcipit Divinum officium recitandum* reverenter, diſtincte & devote. *Ergo*,

Dirige cor ſurſum, bene profer, reſpice ſenſum.
Inque choro non ſis corpore, mente foris.

Et lucraberis Indulgentias Centum dierum a Clemente XIII. *per reſcriptum Apoſtolicum ſub* die 17 Jan. 1769. *Ordini noſtro conceſſas in perpetuum*.

Finitis Horis dicitur ſequens deprecatio, quam devote recitantibus Leo X. *defectus & culpas in Officio Divino ex fragilitate humana contractas indulſit*.

Sacroſanctæ & Individuæ Trinitati, Crucifixi Domini noſtri Jesu Chriſti Humanitati Beatæ & Glorioſiſſimæ ſemperque V. MARIÆ fæcundæ integritati, & omnium Sanctorum univerſitati, ſit ſempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobiſque remiſſio omnium peccatorum per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

V. Beata viſcera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

R. Ei beata ubera quæ lactaverunt Chriſtum Dominum. Pater & Ave.

TRIPLEX CULTUS

B. V. MARIÆ Præſervatæ ſeu Immacul. Conceptæ.

RElígio. *Noſtra mox a ſuis primordiis celebrabat Feſtum Immacul. Conceptionis ſub nomine* Præſervationis. *In antiquo Ordinis Noſtri Breviario extat hoc Invitatorium:* Immaculatam Conceptionem Virginis MARIÆ celebremus: Chriſtum ejus Præſervatorem adoremus Dominum: *& in ſecunda Lectione Primi Nocturni hœc inter alia continentur:* talis profecto laudanda eſt, quæ ſola ſuper omnes electa, & poſt ruinam ſola immaculate concepta. (a)

Porro triplex cultus ſeu trina commemoratio Immaculatæ Conceptionis etiamnum vigens, & in tria dierum ſpatia diſtributa, eſt ſequens.

TEMPORE MATUTINO.

COnceptio Tua DEI Genitrix Virgo, gaudium anuuntiavit univerſo mundo. Ex Te enim ortus eſt ſol Juſtitiæ Chriſtus DEUS noſter, qui ſolvens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, donavit nobis vitam ſempiternam.

V. In Conceptione Tua DEI Genitrix Virgo Immaculata fuiſti.

R. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperiſti.

(a) P. Emman. de Reynoſo in lib. ſub Tit. *Probatio Conceptionis*. P. Andr. Mendo *in ſuo Jure Acad. de Concept. §. 9. n.* 129 & Hieron. Meazza Cl. Reg. *in Stimulo Quotid. Excitante ad memoriam Immaculatæ Concepitonis Deiparæ, die 17. Decemb.*

Oremus.

DEUS, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio Tuo habitaculum præparasti: concede quæſumus, ut ſicut ex morte Ejuſdem Filii Tui prævisa, Eam ab omni labe præſervaſti, ita nos quoque mundos ejus interceſſione ad te pervenire concedas.

DEUS, qui nos a ſæculi vanitate converſos, ad bravium ſupernæ vocationis amore accendis, pectoribus noſtris purificandis illabere, & gratiam Tuam, qua in Te perſeveremus, infunde, ut protectionis Tuæ muniti præſidiis, quod Te donante promiſimus, Te adjuvante impleamus, & noſtræ profeſſionis executores effecti ad ea, quæ perſeverentibus in te promittere dignatus es, pertingamus.

Omnipotens ſempiterne DEUS ſalus æterna credentium, exaudi nos pro famulis Tuis infirmis, pro quibus miſericordiæ Tuæ imploramus auxilium, ut reddita ſibi ſanitate grntiarum Tibi in Eccleſia Tua referant actiones.

Et Famulos Tuos Patrem noſtrum N. Antiſtitem noſtrum N. Ordinem noſtrum & nos ab omni adverſitate cuſtodi, pacem & ſalutem noſtris concede temporibus, atque ab Eccleſia Tua cunctam repelle nequitiam; & gentes Paganorum, Hæreticorum dexteræ Tuæ potentia conterantur, & captivos Chriſtianos, qui in Saracenorum captivitate detinentur tua miſericordia liberare, & fructus terræ dare & conſervare digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ea quæ tempore Pomeridiano *&* Veſpertino *dici ſolent, habentur infra ſuis locis.*

Triſagion.

SAnctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS exercituum; Pleni ſunt cæli & terra gloria Tua. Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto, ſicut erat in principio, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Reci-

Recitantibus quotidie semel centum dierum, & in Dominicis diebus atque per totam octavam Sanctissimæ Trinitatis ter in die centum dierum concessit Indulgentias Clemens XIII. *pro nostro ordine &* Clemens XIV. *ad universos Christi fideles extendit in perpetuum*

Si dies Dominica *est, ante Missam fit aspersio. & secundum tempus canitur*: Asperges *vel* Vidi aquam: *quod totum cum oratione potest accipi ex quotidiana aspersione nocturna.*

DE SUFFRAGIIS.

Pro Defunctis.

QUando in suffragium animarum Fratrum nostrorum defunctorum, aut ex alia obligatione recitatur Officium, *diversus est illius recitandi* Ritus: *magis necessarium scitu, sic distingvas* 1. *Pro nostro Religioso defuncto integrum absolvitur Ritu* duplici *integras scilicet recitando Antiphonas ante & post Psalmos, similiter &* in die Commemorationis Fidelium *defunctorum, atque in* quatuor Anniversariis *temporum.* 2. *Sub Ritu* semiduplici *cum tribus nocturnis recitatur pro dotationibus memoriis, quæ non sunt graves.* 3. Simplex *est Officium, dum unus Nocturnus recitatur, licet cantetur cum laudibus pro dotatione erit sine* Invitatorio, *& assumitur Nocturnus diei correspondens; sed si* Nocturnus *est solemnis, ut canitur in sepulturis & Exequiis est semper* Nocturnus *primus cum* Invitatorio *&* Laudibus.

Finita Antiphona tam post Magnificat, *quam post* Benedictus *& omisso Psalmo sive* Lauda anima mea *sive* De profundis clamavi, *dicitur flexis genibus.*

Pater Noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta Inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requiefcat in pace.
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobifcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Pro Fratre Noftro Sacerdote.

DEUS qui inter Apoftolicos Sacerdotes Famulum Tuum N. Sacerdotali fecifti dignitate vigere, præfta quæfumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur confortio. Per Dominum noftrum JESUM Chriftum qui &c.

Pro Fratre non Sacerdote.

ABfolve quæfumus Domine animam Famuli tui Fratris noftri N. ut defunctus fæculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem carnis humana converfatione commifit, Tu venia mifericordiffimæ pietatis abfterge. Per Dominum noftrum JESUM Chriftum &c.

℣. Requiem æternam dona eis Domine.
℟, Et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiefcant in pace.
℟. Amen

Ex Miffali & Rituali Pauli V. *hæc Regula fervanda: quando dicitur pro uno defuncto in die fuæ* depofitionis, translationis, tertio feptimo, *&* trigefimo die, tum in folemnibus Exequiis *verfus in precibus dicuntur* in fingulari *ante orationem, poft orationem vero* in plurali, *excepto tantum quando corpus eft præfens, nam tunc etiam poft orationem dicitur* in fingulari. *Ultimum autem femper eft* Requiefcant in pace. Amen.

In die Commemorationis Fidelium Defunctorum.

FIdelium DEUS Conditor & Redemptor, animabus Famulorum Famularumque Tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut Indulgentiam quam semper optaverunt piis supplicationibus consequantur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate &c.

Pro Patre & Matre.

DEUS qui nos Patrem & Matrem honorare præcepisti, miserere clementer animabus Patris ac Matris meæ, eorumque peccata dimitte, meque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum nostrum &c.

Si dicatur pro uno Parente numerus pluralis mutetur in singularem.

Pro uno Defuncto.

INclina Domine aurem Tuam ad preces nostras quibus misericordiam Tuam supplices deprecamur ut animam Famuli Tui N. quam de hoc sæculo migrare jussisti in pacis ac lucis regione constituas, & Sanctorum Tuorum iubeas esse consortem per Dominum nostrum &c.

Pro una Defuncta.

QUæsumus Domine pro Tua pietate miserere animæ Famulæ Tuæ N. & a contagiis mortalitatis exutam in æternæ salvationis partem restitue. Per Dominum nostrum JESUM. &c.

Pro Anniversario unius vel plurium Defunctorum.

DEUS Indulgentiarum Domine da animabus vel animæ Famulorum Famularumque Tuarum vel

Famuli Tui, quorum *vel* cujus Anniversarium depositionis diem commemoramus refrigerii sedem, quietis beatitudinem & luminis claritatem Per Dominum nostrum JESUM Christum &c.

Pro Confratribus propinquis & Benefactoribus.

DEUS veniæ largitor & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam Tuam, ut nostræ congregationis Fratres Propinquos & Benefactores qui ex hoc sæculo transierunt, B. M. semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis Tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Dominum nostrum JESUM Christum &c.

ABSOLUTIO ORDINARIA.

Fidelium Defunctorum.

Quæ fit in Conventibus Feriis secundis (paucis exceptis) sed in Collegiis & Conventibus in die Commemorationis Fidelium Defunctorum & in quatuor Anni temporibus.

Statio I.

R. Credo quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & in carne mea videbo DEUM Salvatorem meum.

V. Quem visurus sum ego ipse, & non alius & oculi mei conspecturi sunt: Et in carne mea videbo &c.

Kyrie eleyson Christe eleyson Kyrie eleyson.

Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.
R. Sed libera nos a malo.
V. A porta Inferi.
R. Erue Domine animas eorum]

V. Requiescant in pace. *R*. Amen.
V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum Spiritu Tuo.

Oremus:

DEUS, qui inter Apostolicos Sacerdotes Famulos Tuos Pontificali seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus, ut eorum perpetuo aggregentur consortio Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Statio II.

R. Qui Lazarum resuscitasti a monumento fætidum: Tu eis Domine dona requiem, & locum Indulgentiæ. *V*. Qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Tu eis Domine &c. *Kyrie eleyson &c.*

Oremus.

DEUS veniæ Largitor: *ut est pro Confratribus, Propinquis & Benefactoribus cum brevi terminatione.*

Statio III.

R. Domine quando veneris judicare terram ubi me abscondam a vultu iræ tuæ: Quia peccavi nimis in vita mea.
V. Commissa mea pavesco & ante Te erubesco, dum veneris judicare, noli me condemnare. Quia peccavi nimis, &c.
Kyrie eleyson &c.

Oremus.

DEUS qui nos Patrem & Matrem honorare præcepisti, miserere clementer animabus Parentum

Nostrorum eorumque peccata dimitte, nosque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Christum Dominum &c.

Statio IV.

℟. Memento mei DEUS, quia ventus est vita mea: Nec aspiciat me visus hominis. ℣. De profundis clamavi ad Te Domine, Domine exaudi vocem meam. Nec aspiciat me &c.
Kyrie eleyson &c.

Oremus.

DEUS cui proprium est misereri semper & parcere. propitiare animabus Famulorum Famularumque Tuarum, & omnia eorum peccata dimitte ut mortalitatis vinculis absolutæ transire mereantur ad vitam. Per Christum Dominum &c.

Statio V.

℟. Libera me Domine de morte æterna, in die illa tremenda: Quando cæli movendi sunt & terra. Dum veneris judicare sæculum per ignem,
℣. Tremens factus sum ego & timeo dum discussio venerit, atque ventura ira: Quando cæli movendi sunt & terra ℣. Dies illa dies iræ calamitatis & miseriæ: Dies magna & amara valde. Dum veneris judicare sæculum per ignem ℣. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Libera me Domine. *Kyrie eleyson.*

Oremus.

ABsolve quæsumus Domine animas Famulorum Famularumque Tuarum, & omnium Fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos & Electos Tuos resuscitasti respirent. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

V. Requiem æternam dona eis Domine,
R. Et lux perpetua luceat eis.
V, Requiescant in pace. *R.* Amen.

In reditu ab hac functione, inchoatur Antiph: Si iniquitates. *Psal:* De profundis clamavi. *recitatur & repetitur Antiphona.*

Notandum, quod in die Commemorationis Fidelium defunctorum *ad omnes Stationes erit oratio:* Fidelium DEUS *cum brevi terminatione* Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum *Sed si Feria secunda aut in quatuor anni temporibus, eodem tempore quo cantari debet Absolutio ordinaria. absolvuntur etiam Suffragia pro Religioso nostro Defuncto, tunc post ultimam Stationem erit.*

Oratio.

ABsolve quæsumus animam Famuli Tui Fratris nostri N. (si fuerit Sacerdos) Sacerdotis, ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos & Electos Tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum Amen.

Quando in Collegiis Feriis secundis post horas cantatur Responsorium Libera me Domine: *est oratio* Absolve quæsumus: *ex Statione V. Sed si eadem Feria secunda absolvitur suffragium pro nostro Religioso defuncto, unum Responsorium cantatur* Libera me Domine *cum oratione* Absolve quæsumus Domine animam Famuli Tui Fratris nostri N. &c.
& aliud in suffragium Fidelium Defunctorum Responsorium.

Ne recorderis peccata mea Domine dum veneris judicare sæculum per ignem. *V.* Dirige Domine DEUS meus in conspectu Tuo viam meam Dum veneris judicare &c. Requiem æternam, Dum veneris. V. *Kyrie eleyson &c.*

Oremus.

ABSOLVE quæsumus Domine animas Famulorum, Famularumque Tuarum, ut defuncti

ſæculo Tibi vivant, & peccata quæ per fragilitatem carnis humana converſatione commiſerunt. Tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſveſcas, velim, finitis functionibus chori vel recitatis in particulari horis, pro animabus illorum, qui pro negligenti recitatione Divini Officii patiuntur pœnas purgatorii offerre. De profundis.



EXERCITIUM
DIURNUM.
PUNCTUM PRIMUM
De Præparatione ad Confeſſionem.

Finitis obligationibus Chori (ſi Sacerdos es) celebrandum, (ſi Clericus) frequenter recipiendum eſt SS, Euchariſtiæ Sacramentum. Quod ut dignè peragas, conſidera 1 Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit. 2. de propitiato peccato, noli eſſe ſine metu. 3. Qui manducat & ſumit indignè judicium ſibi manducat. *Ex prima conſideratione examinanda eſt conſcientia propria ex ſecunda eliciendus eſt Actus Contritionis non ſolum de peccatis poſt confeſſionem proximam patratis, verùm & de omnibus totius vitæ, cum firmo propoſito de cætero non peccandi, ex tertia humiliter confitendi, ut beneficio Sacramenti Pœnitentiæ dignè accedere poſſis ad altare, deinde ad excitandam piam diſpoſitionem prorumpas in*

Conſiderationes.

CReator omnium DEUS. & Pater miſericordiſſime, Tu me innocentem creaſti, & ego ut Filius prodigus receſſi, & in Adam delinquendo, omnium malorum factus ſum reus. Fili DEI JESU piiſſime Tu me SS. Sangvine in Paſſione effuſo, & morte turpiſſima redemiſti, ego ingratus toties Sacramenta recipiendo iterum per peccata gratiam amitto. Spiritus Sanctiſſime Tu me Sanctis inſpirationibus & illuſtrationibus reples, & ego parum illis fruor,

& peccata peccatis accumulo, & thesaurizo mihi iram in die iræ, & raro recogito delicta mea, nec studeo condignis gemitibus placare mihi faciem DEI mei, quem toties ad iram provoco. Heu quam multa habeo, quæ defleam, tenebræ cordis mei, & lubrica conscientia; lapsus in vitia & gratiæ jactura, tot laquei peccandi flere me jubent, damna temporis præteriti & pericula futuri, mala animæ meæ quæ multiplicata sunt super numerum plangere me jubent. Erigo tamen mentem, & de profundis clamo ad te Domine DEUS meus. Vide Domine afflictionem meam, erue me de circumstantibus me. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus. In multis offendi Te, & Tu Domine probasti me, & cognovisti me, & omnes gressus meos dinumerasti, quia omnia nuda & aperta sunt oculis Tuis. Tu intelligis cogitationes meas de longe & semitas meas considerasti, sed delicta quis nostrum intelligit, ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo Tuo. Multiplicatæ sunt iniquitates meæ super capillos capitis mei. Sed tu o lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum illumina tenebras mentis meæ, ubi declinaverim a mandatis tuis, ut rursum dirigar in viam rectam. Responde mihi, quantas habeo iniquitates & delicta, & peccata mea ostende mihi. Non intres in judicium cum servo tuo Domine quia non justificabitur in conspectu Tuo omnis vivens. Memento Domine quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me, ideo nunc cito anticipent me misericordiæ Tuæ, ut peccata mea cognoscam, & contrito corde confitear.

Examen Conscientiæ.

Peragi debet per Actus (ut supra mane) Fidei, Spei, & Charitatis, *deinde* Meridianum *ac* Vespertinum *hæsternæ diei &* Matutinum *hodiernum* Examen *revoca in mentem tum novissimas actiones*

tuas revolve & quidquid inde contra Præcepta DEI & Ecclesiæ; contra vota aliasque virtutes te observaveris deliquisse adnota bene pro materia Confessionis & prosequere magis mente & affectu quam verbis.

ACTUS CONTRITIONIS.

Ex Doctrina Conc: Trid: desumptus.

SAnctissima Trinitas DEUS meus credo firmissime & super omnia Te DEUM meum & culpis nostris offendi, & pænitentia placari: Credo & profiteor remissionem peccatorum & Sacramentum pænitentiæ ad eandem remissionem peccatorum nostrorum a Domino nostro JESU Christo institutum. Timeo equidem a Judiciis ex te revelante esse Te Judicem vindicemque peccatorum nostrorum rigidissimum, justissimum; non ignoro tamen summam ac misericordissimam in nos tuam bonitatem, & promissam a Te petentibus veniam, hæc mihi spem facit firmissimam, quod cum gratia Tua suscipiendo Sacramentum pænitentiæ remissionis omnium delictorum meorum consequar Indulgentiam. O Fons omnis boni amo Te, & oro Te justifica me.

Detestor & execror ex toto corde omnia peccata mea super omnia detestabilia. Doleo summe, summam illam ac infinitam bonitatem Perfectionem, excellentiam & Majestatem Tuam a me offensam, quam amo nunc & appretio super omnia propter illammet ipsam peto humillime veniam, firmissimeque propono gratia Tua adjuvante non Te unquam amplius offendere qui omni nostro amore cultu & obsequio dignus es, qui DEUS meus es,

Sequitur ipsa Confessio quæ debet esse dolorosa, vera & integra.

Actus post Confessionem.

SIT Tibi Domine obsecro meritis B. semper Virginis Genitricis Tuæ MARIÆ & omnium Sancto-

rum grata & accepta iſta confeſſio mea, & quidquid mihi defuit nunc & alias de ſufficientia contritionis, de puritate & integritate confeſſionis, ſuppleat pietas & miſericordia tua, & ſecundum illam digneris me habere plenius & perfectius abſolutum in cælis. Qui vivis & regnas. &c. Amen.

Actus ante Pænitentiam.

ET quoniam Clementiſſime DEUS multiplicibus peccatis & negligentiis meis maximam Tibi irrogavi injuriam; ideo etiam paratus ſum Divinæ Juſtitiæ Tuæ perfectam ſatisfactionem ſecundum quod vires meæ ſe extendunt rependere igitur pænitentiam a Confeſſario nomine Tuo mihi impoſitam fideliter ſummaque cum devotione perſolvam, & utinam ita perſolvere poſſim, ut majus Tibi beneplacitum & oblectamentum adferam, quam Tibi per peccata mea injuriæ irrogavi. Quapropter unio & immergo hanc meam pænitentiam in omnia opera ſatisfactoria quæ dilectus Filius Tuus JESUS Chriſtus Dominus noſter perfecit, quando pro nobis ſe ipſum in mortem tradidit. Reſpice igitur Amantiſſime Pater ſuper me debitorem Tuum ſacris Tuis pedibus advolutum irrogataſque Tibi injurias reciproco amore & obſequio rependere ſatagentem tantamque mihi concede virtutem ut juxta Tuum Sanctum beneplacitum hanc pænitentiam perficiam Amen.

Hic peragenda pænitentia

O Pater Cæleſtis Æterne DEUS ſuſcipe hanc ſatisfactionem licet exiguam in unione omnium pænitentiarum, quæ unquam pro gloria Nominis Tui adimpletæ ſunt Rogo Te ut eandem per merita Paſſionis dilecti Filii Tui, perque interceſſionem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ Matris ejus omniumque Sanctorum ratam ac mihi ſalutarem habere & efficere digneris

MODUS

AUDIENDI MISSAM.

SAcrosanctum *Missæ Sacrificium*, de quo nobis grandis sermo & interpretabilis ad dicendum, *ut ait Paulus ad Hebr: cum ex se ipso sit valoris infiniti eo quod in illo non jam* sangvis hircorum & taurorum *ut loquitur ibidem Apost: sed caro & Sangvis Agni Immaculati, qui tollit peccata mundi offeratur quantumvis a Sacerdote indigno (quod proh: dolor evenire solet) celebretur, non ideo ejusdem valor amittitur aut minuitur. Offertur pro omnibus tam vivis quam mortuis. tam pro justis quam peccatoribus*, ut omnibus prosit, quod est pro salute omnium institutum *inquit Angelicus. Est unicum novæ Legis ac veræ Religionis nostræ Sacrificium. illudque* Latreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium & impetratorium *simul, quo scilicet & DEUM digne honorare, & pro beneficiis gratias agere, & peccatorum veniam obtinere pro illisque satisfacere, & innumera prorsus beneficia omnia que bona spiritualia æque ac temporalia, tam nobis quam cæteris impetrare possumus. Hoc Sacrificio quemadmodum DEO nihil charius est, sic homini nihil omnino magis meritorium ac proficuum esse potest, ex quo patet quanti meriti ac utilitatis sit celebrationi Sacrificii Missæ interesse seu (ut vulgo dicitur)* Missam audire.

Modus audiendi Missam triplex præcipue observatur

PRimus *Accomodando se verbis Sacerdotis celebrantis, sed hic modus captu difficilis, paucisque usitatus* Secundus *Accomodando se Liturgiæ & ceremoniis*

in Missa usitatis, quæ integram Passionem Christi Domini repræsentant.

Tertius *orando suas preces, ut sunt variæ orationes advertendo nihilominus ad actiones Missæ principales.*

Ex his secundus modus *excellentior cæteris judicatur, eo quod illo recolatur Vita potissimum autem Passio & mors JESU Christi, quam amore nostri sustinuit, debitum pro peccatis nostris exsolvit, & omnia prorsus bona nobis promeruit Atque hæc recordatio est DEO præ primis acceptabilis nobisque maxime salutaris.*

Tribus Partibus constat Missa. Prima pars *est* præparatio, *quæ incipit ab introitu Sacerdotis ad Altare, in qua se & populum ad Mysteria veneranda præparat. finiturque ad* Sanctus. *Hac parte recolitur Vita JESU Christi ab Incarnatione usque ad proditionem a Juda factam.*

Secunda Pars *est* Consecratio & Oblatio Corporis & Sangvinis JESU Christi *quæ incipit a* Sanctus *usque ad assumptionem inclusive. Hac parte recolitur Passio mors & Sepultura JESU Christi.*

Tertia Pars *est* gratiarum actio, *quæ durat ad finem Missæ, recoliturque per hanc Resurrectio & ascensio ejusdem in Cœlum.*

ACTUS INTENTIONIS

ante auditionem Missæ.

OFfero Tibi Sancte Pater hanc Missam in unione meritorum JESU Christi Domini nostri in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis toti mundo & mihi indigno concessis & concedendis usque ad finem mundi In satisfactionem pro peccatis meis & totius humani generis vivorum & mortuorum, & singulariter pro animabus NN. atque suffragio carentibus, ad impetrationem omnium gratiarum, ad salutem consequendam, justis augmentum gratiæ, pec-

catoribus conversionem, pænitentibus veniam & remissionem tribulatis ac mæstis consolationem, captivis libertatem, mihi gratiam finalis in bono perseverantiæ & auxilium in agone mortis, offero autem juxta Intentionem Sanctæ Matris Ecclesiæ, affectu eo, quo Tibi dilectus Filius Tuus Dominus noster JESUS Christus illud obtulit in Cruce. Affectu Beatissimæ Virginis MARIÆ sub Cruce stantis offerentis Filium suum. neque solum offero hoc Sacrificium Missæ, sed & omnium Missarum in toto orbe hodie, & usque ad finem mundi celebrandum.

Peracta Intentione observa actiones Sacerdotis.

1. Dum Sacerdos accedit ad Altare cum Ministris.

Considera: *Christum euntem cum Discipulis ad Hortum dicto vale Matri suæ Charissimæ.*

Ora.

DOmine JESU Christe pro oratione ad Hortum properans cum Discipulis. junge Tibi cor meum pro semper, ut in posterum ab omnibus cogitationibus liberum, valeat recolere Passionem Tuam per Sacrosanctum Sacrificium Missæ repræsentandam.

2. Dum Sacerdos separatur a Ministris.

Considera. *JESUM avulsum a Discipulis & progressum pusillum pro oratione, Discipulos vero interim obdormientes*

Ora.

DOmine ne derelinquas me orantem, ne me obruat somnolentia, aut mentis evagatio in oratione & remitte mihi peccata distractionis.

3. Dum Sacerdos Calicem ad cornu Altaris seponit.

Confidera: *JESUM orantem.* Pater fi poffibile, transfer hunc calicem a me.

Ora.

DOmine JESU transfer a me calicem de quo ut ait Pfalmifta, *bibent omnes peccatores terræ* fcilicet pænam inferni.

4. Dum Sacerdos accipit Calicem, & in medio collocat Altaris.

Confidera *JESUM fufcipientem calicem & dicentem Patri* verum non mea fed tua fiat voluntas.

Ora.

DOmine JESU refigno meam voluntatem in Tuam ut Tua non mea voluntate omnes actiones meæ in pofterum dirigantur, fiatque voluntas Tua ficut in Cælo ita & in terra.

5. Dum Sacerdos recedens a Calice accedit Miffale.

Confidera *JESUM iterum pergentem ad orationem, & orantem Patrem, ut fi poffibile eft, tranfiret Calix ifte.*

Ora.

Domine JESU ad Te ut pote Advocatum apud Patrem in omnibus meis afflictionibus & neceffitatibus volo recurrere, fis mihi in illis folatium & auxilium eafque mihi difpone ad falutem animæ confequendam.

6. Dum Sacerdos a Miffali redit ad Calicem.

Confidera *Jefum iterum refignantem fe in voluntatem Patris.*

Ora.

DOmine JESU, fi aliter falvari non poffum nifi afflictiones & miferias hujus vitæ fuftinendo, fiat

voluntas

voluntas Tua, tantummodo corrobora me gratiâ Tuâ

7. Dum Sacerdos ad Miniſtros deſcendit Conſidera *JESUM accedentem Diſcipulos, quos dormientes invenit.*

Ora

DOmine Jesu da mihi gratiam excitantem ad bona opera, ne cor meum obdormiat, ſed vigilet ſemper.

8. Dum Sacerdos ſignat ſe ſigno crucis. *Fac Profeſſionem Fidei & pete Auxilium Divinum ut opus Sacroſancti Sacrificii omni meliori modo abſolvatur.*

Ora

DOmine concede mihi in confeſſione noſtræ Sanctæ Catholicæ Fidei vivere & mori.

9. Dum Sacerdos dicit *Introibo.* Conſidera *JESUM dicentem Diſcipulis:* orate ne intretis in tentationem.

Ora

DOmine Jesu fac ne vincar aliqua tentatione, ſed victis omnibus Tibi liber & ſecurus ſerviam.

10. Dum Sacerdos inclinatus dicit *Confiteor* Conſidera *Filii DEI Incarnationem, humilitationem, imo exinanitionem, quando æqualis DEO Patri propter nos ſuſcepit formam ſervi, ut inquit Apoſt:* ad *Philip. c. 2. & inter iniquos juxta Iſaiæ c. 53. reputatus eſt.* Conſidera *præterea JESUM ſangvineo ſudore* manantem, *jam quaſi agonizantem & cadentem in faciem ſuam.*

Ora

DOmine Jesu da mihi gratiam, ut in humilitate vivendo, dignos pænitentiæ pro peccatis meis

fructus facere possim cum profunda Majestatis Tuæ adoratione, considerando humilitatem Tuam & sangvineum sudorem.

11. Dum Sacerdos post *Confiteor* erigit se; Considera *JESUM confortatum ab Angelo, elevatum e terra.*

Ora

DOmine JESU concede mihi Angelum Tuum in auxilium tunc præcipué, quando totum corpus mortali sudore madescet, pulsus langvescet, anhelitus ægrè trahetur.

12 Dum Sacerdos post *Misereatur* dicit reliqua. Considera *JESUM referentem Discipulis non procul adesse eos, qui Eum capturi sunt.*

Ora

DOmine JESU redde me certum de hora mortis meæ, aut potius da mihi gratiam ita vivendi omni hora, ut qualibet paratus sim sanctè mori.

13. Dum Sacerdos ascendit ad Altare Considera *JESUM obviam euntem Judæ, & dicentem ei:* Amice ad quid venisti?

Ora

DOmine JESU converte inimicos meos mihi in amicos, & da eis Sanctissimam gratiam Tuam Regnumque Cælorum.

14. Dum Sacerdos osculatur Altare *Quod facit ob reverentiam Sacri loci, unde statim preces fundit ad DEUM, ut per intercessionem Sanctorum, quorum ibi Reliquiæ asservantur, & per merita omnium Sanctorum remissionem omnium peccatorum suorum consequi valeat, repræsentando JESUM osculo a Juda traditum fuisse.*

Ora

DOmine Jesu defende me a circumventione inimicorum visibilium, sed multo magis libera me ab insidiis inimicorum invisibilium.

15. Dum Sacerdos accedit ad Missale, ubi leguntur Antiphonæ Patrum & Prophetarum expectantium promissum Messiam & Salvatorem.

Considera *JESUM, captum, ligatum, ductum ad Annam.*

Ora

DOmine Jesu, per Tua vincula & ligamina constringe me Tibi vinculis amoris perpetui ut nunquam a Te valeam separari.

16 Dum Sacerdos legit Introitum. Considera *JESUM ante Annam stantem. & eidem humiliter respondentem.*

Ora

DOmine Jesu da mihi virtutem patientiæ ut contumelias humiliter ferre valeam.

17 Dum Sacerdos vadit ad medium Altaris dicturus ibi Græco idiomate *Kyrie eleyson* hoc est *Domine miserere nostri*, quo significantur desideria Patrum in limbo præstolantium Messiam.

Considera *JESUM ab Anna ad Caipham cum magno strepitu & clamore ductum.*

Ora

DOmine Jesu vim facias quæso rebelli voluntati meæ & compelle eam ad sequendum Te in omnibus.

18. Dum Sacerdos dicit Gloria in excelsis DEO, quo significatur gaudium Angelorum in Nativitate Salvatoris secundum carnem, diciturque in me-

dio Altaris ad significandum Adventum Mediatoris inter DEUM & hominem.

Confidera *JESUM interrogatum & adjuratum a Caipha num esset Filius DEI, respondentem* Ego sum.

Ora

DOmine Jesu glorifico & benedico Te credendo vera fide, quod Tu fis Filius Dei, Tu solus Sanctus, Tu Solus Dominus, Tu solus altissimus; gratias ago Tibi quod dignatus sis venire in hunc mundum, cui intulisti pacem, functus officio Mediatoris inter Deum & hominem, Tibi sit gloria in sæcula sempiterna.

19. Dum Sacerdos osculatur Altare, & vertens se ad populum dicit: Dominus vobiscum, extendendo manus.

Confidera *JESUM a milite crudelem recepisse alapam.*

Ora

DOmine Jesu doleo vehementer talem Tibi illatam fuisse injuriam & contemptum, & rogo veniam pro peccatis insolentis & inverecundi sermonis mei, quo Te & proximum colaphizavi.

20 Dum Sacerdos accedit Missale & dicit orationes.

Confidera *JESUM in atrio domus Caiphæ a militibus derisum, oculis velatum, pugnis percussum, atque interrogatum*, prophetisa quis Te percussit?

Ora

DOmine Jesu propter hoc velamen oculorum Tuorum, concede mihi videre Te in agone meo propitium Judicem, in gloria cælesti misericordissimum Salvatorem, nunc autem propitius esto peccatis oculorum meorum.

21 Dum Sacerdos legit Epiſtolam, qua ſignificatur officium Præcurſoris S. Joannis Baptiſtæ, qui venerat præparare & dirigere vias Domini, prædicando Chriſtum jam natum.

Conſidera *Petrum in atrio cum militibus colloquentem & negantem Chriſtum.*

Ora.

DOmine Jesu quamvis omnia tormenta, quæ paſſi ſunt Sancti Martyres deberem tolerare, nunquam Te cum gratia Tua negabo & licet ſi in confeſſione Tui nominis ſangvinem non fuderim, da obſecro, ut cum Martino palmam martyrii non amittam.

22 Dum Sacerdos modicum ſe vertit verſus miniſtrantem, ut ei reſpondeat *DEO gratias.*

Conſidera *JESUM converſum ad Petrum negantem & Petrum exeuntem ex atrio amarè flentem pro peccato ſuo.*

Ora

DOmine Jesu reſpice me peccatorem, oculò miſeſericordiæ Tuæ, ut peccata mea dignè defleam ſincerè confitear, pro illiſque ſincero corde doleam ſemper, & maxime in hora mortis meæ.

23 Dum Sacerdos legit *Graduale*, ſeu Verſus ad pænitentiam inclinantes, *Significatur quando Joannes prædicabat Baptiſmum pœnitentiæ ad monendo Judæos facere dignos fructus pænitentiæ.*

Ora

DOmine Jesu concede mihi voluntatem Tuam cognitam per doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum opere complere, atque in virtutibus progreſſum facere.

24. Quando dicitur *Alleluja* quod *ſignificatur gaudium, ſignificat gloriam Domini, quoniam poſt veram pænitentiam ſequitur venia, gaudium &*

tranquillitas conſcientiæ, augmentum gratiæ, ac Regnum Cœlorum.

Ora

DOmine Jesu, concede mihi his gradibus, ſcilicet pænitentiæ, veniæ, gaudii & augmenti gratiæ ad Regnum Tuum pervenire.

25 Dum Sacerdos in medio Altaris dicit. *Munda cor meum.*

Conſidera. *JESUM in ſub-terraneo ac fœtido carcere vinctum catenis, & funibus ligatum totam noctem tranſegiſſe.*

Ora

DOmine Jesu Lux vera, quæ illuminas omnem hominem, illumina tenebras mentis meæ, & per merita hujus Tuæ noctis libera me a tenebris inferni, & dimiſſis peccatis nocturnis in Regione æternæ lucis conſtitue.

26 Dum Miſſale transfertur ad legendum Evangelium.

Conſidera *Conſilium Judæorum ſummo mane factum contra JESUM, quem ad Pilatum Judicem adduxerunt.*

Significat *prœterea tranſlatio Miſſalis, translationem Doctrinæ Chriſti ad gentes, qua Judæi indignos ſe reddiderunt.*

Antequam legat Sacerdos Evangelium illud ſignat cruce, intimando quod velit promulgare Doctrinam Chriſti.

Se ipſum ſignat in fronte, ore, & pectore, *quod omnes ad ſtantes facere debent.*

Significat autem 1. *quod nullus Chriſtianorum debeat erubeſcere Chriſtum crucifixum, & ideo ponitur in fronte* 2. *quod doctrinam Ejus promulgare teneamur, & ideo ponitur in ore.* 3. *quod charitas Ejus & amor debeat reſidere in cordibus noſtris, & ideo ponitur in pectore.*

Dum legitur Evangelium *assurgit populus præ reverentia Doctrinæ Christi. Antiqui* Poloni *evaginata framea auscultabant Evangelium ad significandum quod prompti essent defendere Fidem etiam cum amissione vitæ.*

Lucerna *seu* candelæ *ideo accenduntur, quia Doctrina Christi Evangelica est lumen illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Considera *JESUM accusatum quod se Filium DEI faceret, populum seduceret, atque nomen Regis Judæorum assumeret.*

Ora

DOmine Jesu Christe Judex justissime injuste coram iniquo Judice accusate, pone Passionem, crucem & mortem Tuam inter judicium Tuum & animam meam, nunc & in hora mortis meæ: Et largiri digneris mihi gratiam, & misericordiam Tuam, vivis veniam, defunctis requiem, Ecclesiæ Tuæ Sanctæ pacem & concordiam omnibus denique peccatoribus vitam & gloriam sempiternam.

27. Dum Sacerdos osculatur Evangelium. Considera *Pilatum nullam causam mortis in Christo invenisse.*

Ora

DOmine Jesu fac me sic vivere, ut in hora mortis nullam causam æternæ damnationis inveniar habere.

28. Dum Sacerdos redit ad medium Altaris, & dicit *Credo*

Quo significatur promulgatio Doctrinæ & fidei in Christum per Apostolos.

Considera *JESUM ductum ad Herodem, ibi derisum, de variis curiosè interrogatum, sed nihil respondentem.*

Ora

DOminē Jesu fac me irrisiones & contemptus pro amore Tui patienter tolerare, & remitte peccata multiloquii, atque in posterum pone custodiam ori meo.

Finito Credo *habetur aliquando* concio, *seu* Doctrinæ Christi prædicatio, *& hic finitur* Missa Catehumanorum, *seu eorum qui ad S. Baptisma præparabantur. Cui Missæ Catehumenorum licebat adesse etiam infidelibus Judœis & Gentilibus juxta Can. 84. Concil. Carthag. 4. Jam vero expeditis talibus ab Ecclesia; secunda pars Missæ erat Fidelium.*

29. Dum Sacerdos post *Credo* dicit *Deminus vobiscum.*

Considera *JESUM redeuntem ad pilatum, qui Illum flagellavit. ORA* Domine Jesu scio multa esse flagella peccatoris, qualis sum ego, hic me ure, hic seca, ut, secundum misericordiam Tuam, in æternum parcas,

Sacerdos dicit Oremus *in plurali quia non tantum pro se, verum etiam pro omni populo orat, omnesque una secum debere orare monet. Addit unum alterumve versum quod eo tempore consueverat populus non tantum panem, vinum & aquam ad altare* pro oblatione *deferre, sed & alias res obtinendœ benedictionis Sacerdotalis gratia. Imo etiamnum, quibusdam* in locis, *viget consvetudo deponendi oblationes sub tempus Offertorii. Quare & tu dicere poteris*

Offerro Tibi Deus meus cogitanda, ut sint ad Te; dicenda, ut sint de Te; facienda, ut sint secundum Te, ferenda, ut sint propter Te.

30 Dum Sacerdos Calicem discooperit. Considera *JESUM vestibus exutum ad flagellandum, &* ORA

Domine Jesu in denudatione Tua verecundate! pudet me, confundor, erubesco & doleo, quod

peccatis impudicitiæ meæ Majeſtatem Tuam graviter offenderim.

31 Dum Sacerdos offert Hoſtiam. *Rogat DEUM Patrem una cum* illis *qui illam offerunt, ut dignetur habere acceptabilem pro ſe & omnibus Fidelibus Chriſtianis vivis & mortuis, ut ſibi & illis proſit ad ſalutem in vitam æternam.*

Offer te & omnia tua affectu S. Ignatii Suſcipe, Domine univerſam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, & voluntatem. Quid quid habeo, vel poſſideo, Tu mihi largitus es: id Tibi totum reſtituo, ac Tuæ prorſus voluntati trado gubernandum: Amorem Tui ſolum cum gratia Tua mihi dones, & dives ſum ſatis, nec aliud quidquam ultra poſco.

Conſidera *JESUM columnæ alligatum dire flagellatum &* ORA.

Domine Jesu per diram flagellationem Corporis Tui, Te rogo, remitte miſericorditer peccata corporis mei.

32 *Dum Sacerdos accedit cornu Altaris ad infundendum vinum & aquam in Calicem.*

Conſidera *JESUM a columna ſolutum, & ductum ad locum ubi coronatus fuit, Hoc in itinere ſangvis ſicut aqua decurrens ex Corpore lacerato, ſignabat veſtigia pedum Ejus.*

Ora

DOmine Jesu ſangvis Tuus copioſe in flagellatione effuſus, abluat omnes maculas fæditatum corporis mei, & ſatisfaciat Juſtitiæ Tuæ Divinæ ita ut nullum veſtigium ſceleris in me remaneat.

33 Dum Sacerdos cum Calice *redit ad medium Altaris offert illum & cooperit.*

Conſidera *JESUM coronari a militibus ſpineâ coronâ.*

Ora

VIr Dolorum Miſericordiſſime JESU oro Te humillime per hanc doloriſſimam & probroſiſſimam

coronationem Tuam, ut corones me in misericordia & miserationibus, dando hic in via donum finalis in bono perseverantiæ, & in Patria cælesti gloriæ proemium.

34 Dum Sacerdos inclinatus orat. Considera *JESUM coronatum arundinem in manu tenentem, cui per ludibrium Judæi genuflectebant, tanquam Regi Judæorum* Ave *dicebant, & in faciem spuebant.*

Ora

REx Regum & Domine Dominantium JESU mi flecto genua mea, & inclino duram licet cervicem meam coram Te in aliqualem recompensationem hujus ignominiæ. O facies decora, in quam desiderant Angeli prospicere, utinam possem lavare lachrymis meis hæc sputa, quibus es deformata, & deosculari Te. Ne projicias me Domine a facie Tua, & fac me eam videre in cælesti gloria in perpetuum.

35. Dum Sacerdos pergit ad lavandos digitos *Significatur quod ad Sacrificium offerendum debeat esse homo liber seu immunis & mundus non solum a peccato mortali, sed etiam a maculis peccati venialis, liber prœterea a distractionibus, tepiditate & oscitantia.* Considera *JESUM Corona redimitum ductum ad Pilatum, qui viso JESU crudelissimè flagellato, lavit manus, volens innocens fieri a sangvine Ejus.*

Ora

DOmine JESU habeam per gratiam Tuam manus mundas non tantum a sangvine hominis & quorumvis bonorum seu substantiæ ejus, sed etiam ab omni macula peccatorum.

36 Dum Sacerdos redit ad Calicem. Considera *JESUM a Pilato ductum in atrium Prœtorii ut Judæi videntes flagellatum vellent mitescere & Barabbœ prœferre.*

Ora

DOmine Jesu Barabbæ posthabite præfero & amo Te, prout præferre & amare debeo, plus quam me & quas vis alias creaturas.

37 *Dum Sacerdos inclinatus orat:* Suscipe Sancta Trinitas *Rogat Sanctissimam Trinitatem, ut suscipiat oblata in memoriam Passionis JESU Christi, Ejus Resurrectionis, Ascensionis in gloriam Sanctorum & salutem nostram.*

Dic verbis S. Francisci Salesii *in mortis articulo constituti.*

Quidquid in me est, voveo & consecro Deo, memoriam factaque Patri: intellectum, cogitationes, verba, Filio: voluntatem affectusque Spiritui Sancto: cor: corpus, lingvam, sensus dolores omnes meos sacrosanctæ humanitati Christi Jesu, qui mei causa non dubitavit prodi, tradi in manus iniquorum, & crucis subire tormentum.

38 *Dum Sacerdos dicit* Orate Fratres.

Dic

Suscipiat Dominus hanc oblationem de manibus tuis ad laudem & gloriam Nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ:

39 *Dum Sacerdos facie versus ad Altare dicit* Secreta.

Considera *Pilatum reversum ad Prætorium, & proferentem sententiam mortis in Christum.*

Ora

INnocentissime Jesu ab impio Judice iniquè judicate, non intres in judicium cum servo Tuo, quia non potero ut pote peccator miserrimus justificari coram Te, nisi misericordia Tua præveniat me.

40 *Dum Sacerdos clara voce dicit* Præfationem, *per quam se & populum præparat ad Divina mysteria peragenda, maxima cum attentione ac pietate ad-*

monet habere Surſum corda, gratiaſque agere Domino DEO noſtro pro JESU Chriſto dato in redemptionem generis humani.

Conſidera Jesum *auſcultantem decretum ſuæ mortis, &*

Ora

JUdex vivorum & mortuorum Chriſte Jesu, coram quo tremunt Angelicæ poteſtates, nunc coram iniquo Tribunali conſtitute, & injuſto decreto in mortem condemnate, noli me in hora mortis meæ condemnare, dum veneris Judicare, miſerere mei dum tempus eſt miſerendi, ne damnes in tempore judicandi: ne reſpicias peccata mea, quibus dignum & juſtum eſt me damnari, ſed merita Sacratiſſimæ Paſſionis Tuæ, quam ſicut nullis meis præcedentibus meritis ſuſcepiſti pro me gratia Tua, ita me licet immeritum ſalva precor miſericordia Tua.

41 Dum Sacerdos clara voce dicit *Sanctus*.

Conſidera *JESUM ingredientem Jeroſolymam, pueros autem Hebreorum clamantes* Hoſanna Filio David.

Dic

SAnctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria Tua. Gloria Patri, Gloria Filio, Gloria Spiritui Sancto &c.

42 Dum pulſatur ad *Sanctus* Conſidera *clamorem Judæorum imponentium crucem JESU Chriſto.*

Ora

JESU trabe crucis gravate ſint mihi omnes cruces adverſitatum pro amore Tui charæ & dulces, & omne onus leve.

43 Dum Sacerdos inclinatus orat, & Altaræ oſculatur.

Conſidera *JESUM ſub cruce in faciem cadentem.*

Ora

JESU dilectissime juva me ne gravatus adversitatibus succumbam.

44 Dum Sacerdos facit *Memento* junctis manibus in silentio. *Ubi primo orat pro pace, unione, conservatione, & felici statu Sanctæ Matris Ecclesiæ pro Prælatis, Spiritualibus, Principibus sæculi, tum pro universo populo Christiano, ac præcipue pro specialiter sibi commendatis, & pro quibus tenetur.*

Considera *JESUM tacentem sicut Agnum mitissimum, dum duceretur ad crucifiendum.*

Ora similiter mente cum Sacerdote & adde JESU mitisime sicut Agnus, fac ut ego feram omnes cruces sine murmuratione,

45 Dum Sacerdos manibus extensis dicit: *& omnium circumstantium.* Ubi orat pro iis, qui devote offerunt Sacrificium Laudis.

Considera *JESUM in bajulatione suæ crucis adjutum a Simone Cyreneo.*

Ora

DOmine JESU fac me digne portare crucem Tuam non coactè, sed spontè libenter & alacriter.

46 Dum Sacerdos dicit *Communicantes.*

Ubi orat per merita B. V, M. & Sanctorum Martyrum intercessionem, ut nos DEUS liberare, custodire ab omni malo. diesque nostros in sua pace disponere, nosque ab æterna damnatione liberare, & inter Electos collocare, materiam oblatam Sacrificii inter dona grata connumerando, sibi acceptabilem, nobis salutarem, atque in ea Corpus & Sangvinem JESU Christi efficere dignetur.

Considera *Sanctissimam Matrem MARIAM cum aliis sequentem JESUM ad mortem Calvariæ.*

Ora

DOmine JESU per dolorem Matris Sanctissimæ, quem habuit ex Passione Tua, concede mihi do-

num pié & fructuosè meditandi Sacratissimam Passionem Tuam affectu compassivo Sanctissimæ Genitricis Tuæ & omnium Electorum Tuorum, quotquot hoc meditandi modo placuerunt Tibi ab initio.

47 Dum Sacerdos extendit manus supra Calicem. Considera *JESUM pervenientem ad montem Calvariæ, ubi milites ad denudandum Eum injecerunt manus*. Et dum Sacerdos facit Cruces supra Calicem. Considera *JESUM extendentem manus & pedes ad affigendum Corpus Cruci.*

Ora

JESU castissime, patientissime, per ignominiosissimam denudationem Tuam, & per acerbissimos dolores manuum & pedum clavis confixorum dimitte mihi omnes aspectus & delectationes impuras, omniaque peccata carnalia per tactum seu alio quovis modo a me commissa: da insuper, ut non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me. Psal. 35.

Adde si vacat.

Suspirium S. P. N. Felicis Morientis.

CHriste Jesu huic me cruci Tecum affigito, clavis firmato, ne tempestas mortis demergat me. Da corpus amplexui, da plagas oculis, da latus animæ in agone.

47 Dum Sacerdos supra acceptam in manus hostiam format crucem, *id est exemplo Christi (qui ante prolationem Verborum Consecrationis prius benedixit Panem & Vinum) benedicit oblata, tum deinde in Persona Christi & verbis ejusdem non jam ut prius, historice, sed significative prolatis transubstantiat panem in Corpus Christi verum & vivum, illudque elevat*, in Elevatione Sacræ Hostiæ considera Christum cum Cruce elevatum, &

Ora ad Elevationem S. Hostiæ

AVE verum Corpus, natum de MARIA Virgine, vere passum, immolatum in cruce pro homine, cujus latus perforatum fluxit unda & sangvine, esto nobis prægustatum mortis in examine, Adoro verum Corpus Domini nostri JESU Christi vivum. Credo sub his speciebus verum DEUM & hominem, qui propter amorem mei fuit crucifixus, nunc hic cum anima & corpore sub speciebus panis latere, prosterno me in conspectu Majestatis Divinæ, gratias agendo pro tam magno dono nobis concesso, offeroque Tibi Sancte Pater Eundem in holocaustum uti DEO Meo, & una simul meipsum, id est; Cor, Intellectum, omnesque potentias animæ meæ in recognitionem Tui supremi dominii, & meæ erga Te subjectionis do, dono, reddo, plene, sincere ex integro ac in perpetum,

49 Dum Sacerdos consecrat *Qua mysteriosa actione, & separata consecratione vini in sangvinem repræsentatur incruento modo mors JESU Christi in Cruce, qua satisfecit Divinæ Justitiæ pro peccatis nostris, & hic est terminus Sacrificii veræ Religionis nostræ. Quo quidem Sacrificio DEUS ipse* quantumvis omnipotens, plus dare non potuit, quantumvis sapiens, plus excogitare non valuit *Licet autem posito Corpore Christi sub speciebus panis ponatur simul & sangvis, eo quod ponatur corpus vivum & deinceps impassibile, videlicet idem ipsum quod est ad dexteram Patris in cœlo; nihilonimus* gladio verborum, ut loquitur Ambrosius, *separatur quodammodo, hoc est* mystice, *corpus a sangvine, & e converso, idque propter repræsentationem Sacrificii cruenti in Ara Crucis peracti. Unde*

In Elevatione Sacri Calicis Considera *Sangvinem e vulneribus corporis JESU Christi copiosissime fluere.*

Ora ad Elevationem S. Calicis.

SAlve Pretiosissime Sangvis de vulneribus Crucifixi Domini mei JESU Christi profluens, &

peccata totius mundi abluens. Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui hora ſexta pro redemptione mundi crucis patibulum aſcendiſti, & ſangvinem Tuum pretioſum in remiſſionem peccatorum noſtrorum fudiſti: Te humiliter deprecamur: ut mox poſt obitum noſtrum, paradiſi januas nos gaudenter introire concedas.

50 Dum Sacerdos facit Cruces. Conſidera *Latrones crucifixos, & poſitos ad Latera JESU Chriſti.*

Ora

Domine Jesu, qui inter duos latrones ac ſi omnium ſceleratiſſimus pendens diverſa utriſque meritorum ſuorum ſtipendia contuliſti, concede miſericors ut in hora exitus mei audire merear: Hodie mecum eris in paradiſo, & in die judicii: Venite Benedicti.

51 Dum Sacerdos inclinatus facit oblationem Corporis & Sangvinis Chriſti dicendo: *Supplices Te rogamus &c.* tum deinde oſculatus Altare facit cruces.

Conſidera *JESUM orantem pro ſuis crucifixoribus, ora pro Tuis adverſariis:* Pater ignoſce illis, & Adde Orationem S. Cajetani *ad placandam indignationem Divinam ſupra Regnum vel locum in quo moraris.*

Reſpice Domine Sancte Pater, de Sanctuario Tuo, & de excelſo Cælorum habitaculo, & vide hanc ſacroſanctam Hoſtiam, quam Tibi offert Magnus Pontifex noſter Sanctus puer Tuus Jesus Chriſtus pro peccatis fratrum ſuorum; & eſto placabilis ſuper multitudinem malitiæ Mundi. Ecce vox Sangvinis Fratris noſtri Jesu clamat ad Te de Cruce. Exaudi, Domine, Placare: Domine: Attende & fac; ne moreris propter temetipſum, Deus meus, quia nomen Tuum invocatum eſt ſuper Civitatem iſtam (vel ſuper Regnum hoc aut locum iſtum) &

ſuper

ſuper populum Tuum, & fac nobiſcum ſecundum miſericordiam Tuam. Amen.

52 Dum Sacerdos facit. *Memento.*

Ora

GRatias Tibi ago Salvator Chriſte Domine pro Paſſione & morte quam amore mei ſuſcepiſti, pro Inſtitutione Sanctiſſimi Sacramenti, & Sacrificii Miſſæ. Commendo Tibi ſtatum S. Matris Eccleſiæ Catholicæ, neceſſitates hujus Regni, Sacerdotis celebrantis, Parentum, Conſangvineorum, Benefactorum, Amicorum, & Inimicorum meorum. Intuere oculo miſericordiæ Tuæ omnes infirmos, anguſtiatos, Captivos, Agonizantes, fideles & infideles, animas in purgatorio exiſtentes atque ſuffragio carentes, miſerere animæ meæ, dona mihi N. concede N. confer amico vel meis N. talem gratiam.

Conſidera *JESUM commendantem Matrem ſuam Sanctiſſimam Joanni.*

Ora

DOmine Jesu commenda me Sanctiſſimæ Matri Tuæ, ut poſſim ſi non Filius ejus, qua gratia me indignum reputo, ſaltim cliens atque mancipium per verum ſervitium nuncupari, & Illius protectione ſemper gloriari atque defendi.

53 Dum Sacerdos percutiendo pectus, dicit *nobis quoque peccatoribus.* Conſidera *quoſdam percutientes pectora ſua dixiſſe:* vere Filius Dei erat iſte.

Ora

Ultimis verbis S. Franciſci de Paula.

O Bone Jesu! Paſtor bone! juſtos conſerva, peccatores juſtifica, & omnibus Fidelibus miſerere vivis & defunctis: & propitius eſto mihi peccatori.

54 Dum Sacerdos Hoſtiam & Calicem paululum elevat.

Conſidera *JESU ſitienti oblatum fuiſſe fel & acetum*.

Ora

SCientiſſime ſalutis animarum Chriſte JESU felle & aceto ob amorem mei potate, dimitte omnia peccata per gulam & ſenſum guſtus a me commiſſa, fac mihi amaras omnes dulcedines tranſitorias, & dulcora ſvaviſſimo Tui amore quascunque adverſitatum præſertim vero extremæ infirmitatis meæ amaritudines & anguſtias.

55 Dum Sacerdos dicit clara voce *Oremus*. Conſidera *JESUM magna voce clamantem* DEUS DEUS ut quid dereliquiſti me.

Ora

DOmine JESU non me derelinquas in hora mortis meæ ſed cum dulciſſima Matre Tua juva me & protege me.

56 Dum Sacerdos extenſis manibus dicit Pater noſter, *ubi ſeptem petitiones orationis Dominicæ ſignificatur ſeptem verba Chriſti in Cruce*.

Conſidera *JESUM dicentem*. Pater in manus Tuas commendo Spiritum meum.

Ora

IN manus Tuas Domine JESU commendo animam meam nunc & in hora mortis meæ.

57 Dum Sacerdos ſignat ſe Patena, & eandem oſculatur.

Conſidera *JESUM inclinaſſe Caput de cruce, & quaſi in valedictionem mundo juxta S. Auguſtinum voluiſſe oſculum præbere*.

Ora

DEoſculor Domine JESU Chriſte Sacratiſſima vulnera Tua, atque deſidero in hora mortis meæ effigiem Tui præ manibus oculiſque habere, eam tenerrime oſculari, atque tali oſculo immori.

58 Dum Sacerdos dividit in duas partes Hostiam, *qua significatur divisio animæ Christi a corpore.* Considera *JESUM dicentem* consummatum est *expirasse.*

Dic aliquam ex his tribus quibus pro obtentu felicis mortis orationibus.

Domine Jesu! per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in cruce, maxime quando Anima Tua benedicta egrediebatur de corpore Tuo, miserere animæ meæ in egressu suo.

Domine Jesu! instanti mortis Tuæ, & instanti morti Matris Tuæ, omniumque Electorum Tuorum instans mortis meæ commendo: benedic isti propter illa.

Domine Jesu unio morti Tuæ divisionem animæ meæ a corpore, eamque Tibi nunc dono, offero, ut secundum misericordiam Tuam, & propter lytrum Redemptionis eam Tuam facere digneris.

Sacerdos unam partem Hostiæ ponit in Patena, per hanc significatur descensus Animæ Christi cum Divinitate ad Limbum. Duæ partes hostiæ positæ in Patena significant depositionem Corporis Christi de Cruce atque sepulturam.

Tertia pars Hostiæ missa in Calicem significat Christi resurrectionem a mortuis, seu reunionem Animæ cum Corpore.

Hæc considerando Ora.

DOmine Jesu, si Justitiæ Tuæ Divinæ debebo pœnis purgatorii satisfacere, memento eò tunc mei Domine & fer refrigerium; modo verò existentibus in purgatorio animabus concede indulgentiam & requiem æternam per mortem & resurrectionem Tuam.

59 *Dum Sacerdos dicit* Pax Domini *Significatur, quod Christus eadem die qua resurrexit apparuit Discipulis, & dixit* Pax vobis.

60 *Dum Sacerdos dicens* Agnus Dei *percutit pectus, significatur, quod per mortem JESU Christi data est Illi potestas in cœlo & in terra, per quam Pax inter DEUM & homines est conclusa.*

Significatur præterea quod Longinus, Centurio *lancea perforaverit pectus Christi, sed postea confessus sit Eundem fuisse verum Filium DEI.*

Ora

ROgo Te dulcissime Domine Jesu Christe per transfixionem Cordis Tui Sacratissimi confige me timore Tuo, ut a judiciis Tuis timeam, transfige quoque cor meum ignito amoris Tui jaculo, quemadmodum transfixum legimus Cor Seraphicæ Virginis Tuæ Teresiæ.

61 Dum Sacerdos inclinatus dicit orationes.

Significatur qualiter ad petitionem quorumdam piorum Corpus Christi fuit depositum de Cruce.

Considera *dolorem Sanctissimæ Matris dum Corpus Christi in sinu suo collocatum habuit.*

Ora

DOmine Jesu quali Te Sanctissima Mater Tua affectu tunc complexa fuit, quando vulnera Tua amore nostri suscepta deosculabatur, tali affectu Tibi pro hisce vulneribus gratias reddo, atque omnes actus ab Ea tunc elicitos Tibi offero in recompensationem omnium negligenter a me susceptarum inspirationum, quibus me toties illustrare & ad Te trahere voluisti.

62 Dum Sacerdos accipiens Patenam cum Hostia percutit pectus Considera *Corpus Christi deportari ad sepulchrum.*

Ora

DOmine non sum dignus propter gravia peccata mea habere laudabilem sepulturam misericordiæ Tuæ magnæ nimis committo sepulturam cor-

poris mei, ut more Catholicorum Orationibus atque Sacrificiis Miſſæ juvetur anima.

63 Dum Sacerdos facit ſumptionem Corporis & Sangvinis, *ſignificatur qualiter Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam, atque ante Aſcenſionem in Cœlos, u anduc averit cum Diſcipulis.*

Confidera *JESUM depoſitum in ſepulchro.*

Ora

DOmine Jesu offero Tibi cor meum in ſepulchrum, dignare venire in illud, hic quieſcas ac permaneas, & ne pateat aditus dæmoni tentanti per honorabilem ſepulturam Tuam id effice.

Adde ſi vis privilegiatam Orationem *apud S. Methildem l. 4. c. 52.*

Gloria Tibi ſvaviſima, dulciſſima, benigniſſima, nobiliſſima, imperialis, excellentiſſima, fulgida, ſemperque tranquilla Trinitas: pro roſeis vulneribus Jesu Chriſti, mei unice electi Amatoris.

DEUS, qui nobis in ſancta Sindone, qua corpus Tuum ſacratiſſimum, è Cruce depoſitum a Joſeph involutum fuit, paſſionis Tuæ veſtigia reliquiſti: concede propitius, ut per mortem & ſepulturam Tuam, ad reſurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre, in unitate Spiritus Sancti DEUS per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Informatio de Communione Spirituali.

QUi non communicant ſacramentaliter recipiendo verè & realiter Corpus Chriſti Domini, poſſunt ſpiritualiter id facere.

Quem in finem 1. Eliciant Actum contritionis. 2. Excitent deſiderium vehemens tunc quando Sacerdos ſe ipſum vel alios communicat, ſuſcipiendi in cor ſuum, Chriſtum Dominum. 3. Facta hypotheſi, quod jam intra ſe habeant ſalutent amoroſiſſimè. 4. Gratias agant humillimè. 5. Offeraut ſe in perpetuum Eidem ſervitium. 6. Commendent neceſſita-

tes suas corporis & animæ, tum demum animas purgatorii. Ita fiet, quod sicut per dignam Communionem unitur homo cum Christo, augmentum gratiæ sanctificantis consequitur, ad malas inclinationes deprimendas roboratur, sic id ipsum per spiritualem Communionem obtinere possit.

64 Dum Sacerdos lavat digitos vinô & aquâ. Considera *sub tempus sepulturæ Corporis Christi, flere Sacratissimam Matrem aliasque pias mulieres.*

Ora

COpiosæ lacrymæ Sanctissimæ Matris Tuæ atque piarum mulierum apud Te misericordissimum Dominum meum id efficiant, ut fleam diu noctuque peccata mea, & præcipuè in hora mortis meæ, atque toties quoties recolo amarissimam Passionem Tuam & dolores Sanctissimæ Matris Tuæ.

65 Dum Sacerdos cooperit Calicem Bursâ. Considera *Lapidem sepulchro imponi & sigillo signari.*

Ora

OBfirma signaculo amoris Tui cor meum JESU amor mi, ut Tuum sit in perpetuum & Te solum DEUM diligat, neque ullis terrenis rebus a Te unquam abstrahatur.

66 Dum Sacerdos pergit ad Missale, Considera *Sanctissimam Matrem cum Joanne & aliis sepulto Domino redeunte in domum suam.*

Ora

GRatias Tibi ago Dulcissime JESU, quod desolatæ Matri Tuæ provideris Tutorem Sanctum Joannem. Deprecor humillimè ut providentia Tua me non deserat in omnibus necessitatibus meis, concilia mihi amorem & favorem eorum, quibuscum agere in vita mihi contigerit.

Si habes subditos aut directioni tuæ commissos, hic commenda.

67 Dum Sacerdos revertitur ad medium Altaris. Conſidera *Mulieres euntes ad ſepulchrum cauſa videndi corpus Chriſti.*

68 Dum Sacerdos oſculatur Altare, & vertens ſe ad populum dicit, *Dominus vobiſcum.*
Conſidera *Chriſtum apparuiſſe Magdalenæ, quæ voluit oſculari pedes ejus.*

69 Dum Sacerdos pergit ad Miſſale Conſidera *a Magdalena referri Apoſtolis Chriſtum reſurrexiſſe ſibique apparuiſſe, tum eis præcepiſſe ut ſe ſequerentur in Galilæam.*

Ora

DOmine JESU ſim dignus per gratiam Tuam videndi Te mox poſt mortem meam in gloria reſurrectionis Tuæ.

70 Dum Sacerdos redit ad medium Altaris,
Conſidera *Apoſtolos euntes in Galilæam.*

71 Dum Sacerdos vertens ſe dicit *Dominus vobiſcum.*
Conſidera. *JESUM in Galilæa apparuiſſe Apoſtolis, atque manus & pedes perforatos monſtraſſe.*

72 Dum Sacerdos dicit *Ite Miſſa eſt.*
Conſidera *Miſſos a Chriſto Apoſtolos in univerſum mundum cauſa prædicandi Regnum DEI, ipſisque videntibus Chriſtum in cælos aſcendiſſe.*

Ora

GRatias Tibi ago Domine JESU, quod me ad eam fidem vocaveris, quam Sancti Apoſtoli Tui prædicarunt: Et *licetſi mille aliæ eſſent in terra Religiones, ego unam & ſolam approbabo Catholicam & Apoſtolicam Romanam: atque in ea profitenda mori volo, quaſcunque tandem* eo tunc *in contrarium immiſerit adverſarius?* S. Franc: Sales.

73 *Dum Sacerdos dicit.* Placeat Tibi &c. *Rogat Sanctissimam Trinitatem, ut Ei Sacrificium Missæ sit acceptabile, sibique & omnibus pro quibus illud obtulit, propitiabile.*

Considera *a B. V. M. & Apostolis expectari promissum Spiritum Sanctum.*

74. Dum Sacerdos benedicit populo Considera *adventum Spiritus Sancti, per quem intuitu meritorum Passionis Christi collata est a Sanctissima Trinitate Benedictio copiossima B. Virgini MARIÆ & Sanctis Apostolis in die Pentecostes.*

Ora

BEnedic etiam mihi Sanctissima Trinitas, ut in confessione Tui dignè vivis feliciter moriar, & in cælesti gloria per infinita sæcula sæculorum Te collaudem.

75 Dum Sacerdos legit ultimum Evangelium. Considera *Apostolos relictis Judæis prædicare Evangelium Gentibus.*

Ora

DOleo mi Domine ex toto corde, quod tam multi sint, qui fidem Catholicam parvipendant. Converte eos Domine ad Te & me confirma sanctissima gratiâ Tuâ, ut in hac fide, & speciali vitæ sanctitate constanter perseverem usque in finem vitæ meæ.

Suscipe Domine JESU hanc meditationem Passionis Tuæ, & effice; ut prosit mihi in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ Amen.

ORATIO SANCTI AUGUSTINI.

De singulis Passionis Christi articulis, sumpta ex magna Tabula Lateranensis Ecclesiæ, quam contri-

to & devoto corde orantibus, sat amplas Indulgentias Bonifacius VIII. & Benedictus XI. *quondam concesserant.*

DEUS, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judæis reprobari, a Juda proditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis, indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis & opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latroneis deputari, felle & aceto potari, & lancea vulnerari. Tu Domine per has sanctissimas pænas tuas, quas ego indignus recolo, & per sanctam crucem, & mortem Tuam, libera me a pænis inferni, & perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas DEUS in sæcula sæculorum Amen.

Mystica & moralis significatio Paramentorum sacerdotalium & quorundam Requisitorum ad Missam, ex Hierolexico Dominici Macri, & aliis.

1. *Amictus* seu Humerale significat Velum, quo in Passionis nocte milites Redemptoris faciem velabant.

2. *Tunica* linea vulgo Alba, alio nomine Poderis dicta a Græco vocabulo Poderos, quia ad pedes usque extenditur, & Moraliter perseverentiam significat, mysticè veró vestem albam qua Christus delusus fuit apud Herodem.

3. *Cingulus* moraliter continentiam, contemplative charitatem Christi & funes quibus in Passione ligatus fuerat denotat.

4. *Manipulus* myſticè funes, ut cingulum, moraliter vero pænitentiam & fletum ſignificat ut patet ex Oratione: Merear Domine portare manipulum fletus & doloris &c.

5. *Stola* moraliter ſvave jugum Chriſtianæ legis denotat; myſticè Crucem Chriſti, & ideo a Sacerdotibus in modum crucis ante pectus ligatur, ſecus ab Epiſcopis, eo quod hi crucem ante pectus pendentem cum Reliquiis deferant.

6. *Caſula*, quæ ſuper omnia indumenta ponitur, ſignificat moraliter charitatem cæteris virtutibus ſupereminentem: myſtice veſtem coccineam ſeu purpureum Chriſti indumentum.

7. *Velum* quo cooperitur Calix, ſignificat in Paſſione Chriſti obſcuram noctem illam, qua primum inſtitutum fuerat incruentum Altaris Sacrificium.

8. *Corporale* myſtice ſignificat linteum mundum quo Corpus Salvatoris a Joſeph involutum fuit, & ideo ex lino puro textum eſſe debet, moraliter vero munditiem & caſtitatem in celebrante prærequirit.

9. *Altare* ſignificat ipſum Chriſtum, & ideo Sacerdos ſemper Altare oſculatur antequam populum ſalutet ſeu pacem tribuat, pax enim a Chriſto Domino in Altari effigiato ſumenda eſt.

10. *Crux* ſub tempus celebrationis in Altari ſemper locatur ob memoriam Sacrificii cruenti in Ara Crucis peracti, quod per Sacrificium Altaris repræſentatur. Porro in hoc Sacrificio ſeu in Miſſa aut una tantum, aut tres, aut quinque fiunt cruce ſignationes, ut per unam eſſentiæ Divinæ unitas, per trinam, Divinarum Trinitas Perſonarum, & per quintuplicem, quinque Chriſti vulnenera, ut vult Micrologus, imo etiam D. Thomas, aut quinque Illius ſenſus, ſuis quique tormentis affecti, prout piè contemplatur Bonaventura, deſignentur, ita Cavalieri T. 5. c. 18. n. 2. & c. 19. n. 6. Notandum autem cum præſtantiſſimo Boſſueto Tractatu de Miſſa c. 41. & aliis, diſcrimen inter cru-

ces, illæ enim, quæ fiunt ante Confecrationem fuper Hoftiam & Calicem, referuntur ad panem & vinum, fuæque benedictionis fortiuntur effectum, tum erga ipfum Sacramentum confecrandum, tum erga hominem, qui per Sacramentum vult fanctificari. At vero cruces illæ quæ fubfequuntur Confecrationem, non referuntur ad Corpus & Sangvinem Chrifti, quafi effent benedictiones Illius, cum è contra Chriftus fit fons omnium benedictionum, de cujus plenitudine omnes accipimus, fed ad eos duntaxat diriguntur, qui Corpus & Sangvinem Chrifti funt fumpturi, ut fcilicet remoto obice peccati digne ac fructuofe fufcipiant Sacramentum.

11. *Calix* a calida more Antiquorum calida ex eo bibentium dictus eft potione, quia ficut calix exhilarat cor hominis, ita Sangvis Chrifti animas fibi devotas perpetuo jucundat.

12. *Patena* ita appellata, quia patens & fpatiofa eft: in Liturgia S. Jacobi Difcus appellatur, & tefte D. Alberto M. latitudinem charitatis indicat. Antiquiffima Patena argentea S. Petri Chryfologi Altare, crucem & agnum præſeferens, habet hoc diftichon circumcirca: Quem plebs tunc chara Crucis jam fixit in ara. Hoftia, fit gentis, primi pro labe parentis.

13. *Candelæ* a verbo candeo originem fuam deducunt, eæque ardentes in Miffæ Sacrificio myftice ardentiffimum erga nos Chrifti amorem tanquam ignem ad holocauftum & victimam requifitum; moraliter candidam & exemplarem Sacerdotis vitam, juxta illud Lucæ 12. fint lucernæ ardentes in manibus veftris, indigitare dignofcuntur.

14. *Campanula* alio nomine nola in locum Sacerdotalium veteris Teftamenti tubarum fubrogata, prædicationem Apoftolorum fignificat, & quia hi in Salvatoris paffione præ timore conticuerunt,

ideo sub illud tempus triduo scilicet majoris hebdomadæ, in signum spiritualis mæstitiæ, signis Ecclesiæ, seu campanis silentium indicitur. Effectus, quos præstat pulsus campanæ benedictæ, explicantur hisce versibus.

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum.
Defunctos ploro, nimbum fugo, festaque honoro.

15. *Tonsura* Sacerdotalis seu abrasio capillorum in formam coronæ, spineam Salvatoris nostri coronam significat juxta Bedam, moraliter superfluarum cogitationem ablationem designat juxta S. Greg. M. vel vero puram minimeque fucatam vitam in Clero necessariam indicat juxta Dionys. Areop.

DISSERTAIO

De Excellentia Sacrosancti Missæ Sacrificii & Sacræ Communionis, pro excitando in celebraturis, communicaturis, atque Missam audituris fervore perquam accomodata.

MYsterium Altaris, & Sacrificium est & Sacramentum, Sacrificium inquantum dicit ordinem ad DEUM, quo testamur exterius totos nos DEO devovere ad recognoscendum supremum Ejus in nos dominium, Sacramentum, inquantum dicit Ordinem ad nos, & est signum practicum, quo declarat DEUS se dare gratiam digne illud suscipientibus, atque sanctificare nos.

Sacrificium proprié sumptum, ut pote exterioris Latriæ cultus publicus legitimè institutus, & per Ministrum legitimum factus, *In qualibet ætate*, ut inquit Angelicus Doctor, *& apud quaslibet hominum nationes semper fuit aliqua Sacrificiorum oblatio*. Nec dubitat idem, *quin Adam in statu innocentiæ licet brevissimo Sacrificium DEO obtule-*

vit, atque exemplo præiverit filiis, de quibus S. August. L. 10. de civitate DEI. c. 4. sic habet: *Quam antiquus sit in Sacrificando, DEI cultus, cum illi fratres Cain & Abel satis indicant.* Et c. 19. *sed non ob aliud fallaces illi spiritus* (id est dæmones:) *sibi hoc exigunt*, nisi *quia vero DEO deberi sciunt*.

Ecclesiæ Catholicæ charactere veræ Religionis condecoratæ non satis est gloriari peracto in Ara Crucis Sacrificio cruento, prout id sufficere quidam perperam arbitrantur, nam in monte Calvario nos neque offerentes, neque Ministri, neque adstantes & spectatores illius Sacrificii fueramus; sed insuper gloriari debet Sacrificio Altaris incruento, quod scilicet providit Æterna Sapientia ministerio suorum Sacerdotum, ut Eo redderetur honor ac donum ab universa Ecclesia Militante DEO Patri, simulque haberetur compensatio, quam DEUS dat Ecclesiæ Triumphanti: atque sic palam satisfactum esset duabus magnis Justitiis; Creatoris videlicet & creaturæ, datur enim hominibus hic in terra modus gratias agendi DEO, eumque dignè adorandi, & DEO condigne præmiandi homines in cælo. O prodigium & ineffabilis DEI miseratio!

Religionem Ecclesiæ tres præcessere Religiones, per quas DEUS proprium atque verum habebat cultum & honorem. Prima Religio ipsiusmet DEI, quæ viguit ab æterno, viget atque vigebit semper in Trinitate Personarum. Secunda Religio hominum, quæ vigebat ante adventum Messiæ. Tertia demnm ipsius Christi, quam durante vita sua mortali exercuit, & Ipsemet ritus peregit.

Quælibet harum Religionum habet suum Sacrificium, seu supremam & eximiam operationem Sacerdotalem, per quam excellentissimé honoratnr DEUS, sed mirabilius propemodum Religio Catholica in solo Missæ Sacrificio omnia continet

Sacrificia illarum trium Religionum: Miſſa enim eſt compendium omnium ſupremorum honorum, quos Divinitas recipere unquam potuit, & poterit quovis tempore.

Sacrificio veteris Legis colebat DEUM procul omni dubio electus ille populus Hæbreorum, fuerunt illi ratione Materiæ ſeu Rei oblatæ, varia Sacrificia. 1. Victima ſeu hoſtia de animalibus quadrupedibus & volatilibus. 2. Immolatio rerum inanimatarum ſolidarum, ut frugum terræ, panis, thuris. 3. Libamen rerum liquidarum, ut vini olei.

Ratione modi offerendi, aliud Sacrificium fuit Holocauſtum, in quo tota res deſtruebatur, cremabatur, ita ut nihil inde cederet in uſum hominum. Aliud Hoſtia Pacifica, cujus una pars cremabatur in honorem DEI, altera cedebat in uſum Sacerdotum, tertia in uſum offerentium, Aliud tandem Hoſtia pro peccato, cujus una pars comburebatur, & altera ſpectabat Sacerdotes in atrio templi veſcentes.

Ratione finis Quadruplex diſtingvebatur Sacrificium. 1. Latreuticum, quod per ſe totum in cultum DEI exhibebatur. 2. Euchariſticum in gratiarum actionem pro acceptis. 3 Impetratorium pro obtinendis beneficiis. 4. Propitiatorium ſeu Satiſfactorium pro peccatis.

Sic enucleata Veteris Legis Sacrificia, perfectiſſimo prorſus modo coadunata ſunt in uno tremendo Miſſæ Sacrificio, quemadmodum S. Leo ſer. 8. de Paſſione ait: *Carnalium Sacrificiorum varietate ceſſante omnes differentias Hoſtiarum una Corporis & Sangvinis implet oblatio*. Quodque Eccleſia credit dum orat ſic: *DEUS qui legalium differentiam Hoſtiarum, unius Sacrificii perfectione ſanxiſti* Et Conc. Trid. Seſſ. 22. c. 1. expreſſius docet: *Hæc denique illa munda oblatio eſt, quæ per varias Sacrificorum naturæ & Legis temporum ſimilitudines figurabatur, ut pote quæ bona omnia*

per illa significata, veluti illorum omnium consummatio & perfectio complectitur.

Et quanquam unicum tantum sit novæ Legis Sacrificium ratione Rei oblatæ, quæ est ipse Christus, Ille inquam qui se ipsum obtulit Deo in cruce, cum reali effusione sangvinis, mactione, & morte violenta; nihilominus est etiam quavis in Missa Sacrificium incruentum, quo Christus offertur absque effusione Sangvinis & morte violenta, sed modo mystico & repræsentativo, prout docet Conc. Trid. Sess. 22. c. 2. *In Divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur idem Ille Christus continetur & incruente immolatur, qui in Ara Crucis semel seipsum cruente obtulit: una est eademque Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio sola offerendi ratione diversa.*

Legitimam æque ac publicam institutionem Sacrificii Missæ, illiusque Ministrorum legitimitatem multis in locis laudatum docet Tridentinum. Unicum hujusce rei documentum esto. Sess. 22. c. 1. *Christus Corpus & Sangvinem suum sub speciebus Panis & vini DEO Patri obtulit, ac sub earundem rerum Symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituit, ut sumerent, tradidit, & eisdem eorumque Successoribus Sacerdotibus in sacerdotio ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem:* & infra. *Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite: non instituisse Apostolos, Sacerdotes, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sangvinem suum, anathema sit.*

Legitima itaque est institutio Sacrificii Missæ, quia a Capite & Salvatore nostro Christo ordinata: legitimi Ministri Sacerdotes, quia originem suæ ordinationis ducunt ab Apostolis. Publicum Sacrificium & commune toti militanti Ecclesiæ, quia sicut Christus pro omnibus in Ara Crucis obtulit Sacrificium, pari modo Sacrificium Missæ repræsentativum & rememorativum cruenti, fit pro omnibus & nomine omnium. En Innocentii III. Lib. 2.

mysterio Missæ c. 6. verba *Quod specialiter adimpletur ministerio Sacerdotum, hoc universaliter agitur voto fidelium*, Et ea propter fideles dicuntur offerre Sacrificium quadam ratione generalissima, communi & publica, inquantum sunt membra Ecclesiæ, cujus nomine quisque Sacerdos Sacra facit, & iterum ratione quadam magis speciali, inquantum cooperantur ad Sacrificii oblationem, dando Eleemosynam, Honorarium, necessaria suppeditando & Sacerdoti inserviendo: Si plura scire libet, videamus quomodo orat in Missa Sacerdos: *Memento Domine famulorum famularumque Tuarum, pro quibus Tibi offerimus vel qui Tibi offerunt hoc Sacrificium Laudis*, atque hinc manifestè patet publicum & commune omnibus esse Missæ Sacrificium.

Sed revertamur spectaturi num Sacrificio Missæ fiat DEO cultus ejusmodi qualem habebat in veteri ante adventum Messiæ Religione. Neque diu in responsione morandum: ea nobis obvia est, per Sacrificium enim Missæ quanto altius ad supremum adorationis gradum elevamur, tanto magis legalium Sacrificiorum ritum, qui fuit figura nostri superamus, & quanto sublimior est DEUS re creata, tanto Sacrificium DEI hominis est excellentius Sacrificio animalium. Quæ namque, (si fas ita pro sæculi genio loqui.) Utilitas? qui, ut dicam, quod plerique blaterant, ipsi DEO maximo honor, animalium sangvine pasci, eorumque corpora primum suo natantia in sangvine, tum dein redacta in cinerem atque favillam desuper contemplari? quæ denique hominum inventio, & ut voces latrantium referam, Fanatismus?

Non improperii sed admirationis occasionem hinc sumamus necesse est, quod licet populus ille oraculo Prophetarum instructus, optimè rem perspectam habuerit, DEUM, ut pote supremum Dominum nullo rerum creatarum dono indigere, qui infini-

infinitè in ſe dives eſt, ut ait Pſaltes *DEUS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, nihilominus offerebat victimas & Sacrificia, facili hinc conjectura aſſequimur, voluiſſe veteres illos hoc ſolo & non alio modo ſupremum Dei dominium & ſuam in omnibus Ei ſubjectionem teſtari, ac ſi Victima eſſet figura perſonæ offerentis, & ſicut victima cremabatur, ſic offerens paratum ſeſe monſtrabat etiam ad vitam cum ſangvine profundendam, ſi hanc ab Eo Deus exigeret. Præterea Bonitas Divina ſat ſuperque creaturam rationalem ſtimulabat ad ſui amorem ac externam hujus amoris profeſſionem, quod itaque rei creatæ genus aſſumendum erat demonſtrando huic amori idoneum, niſi offerre aliquid de ſuis & donare de iis, quorum dominium erat penes eos, atque ideo offerebant in Sacrificiis animalia; cæterum ſcientes hiſce Deum non indigere. *DEUS meus es tu quoniam bonorum meorum non eges*, cremabant eadem, & quaſi annihilabant, & ſic ea quaſi annihilatio ſeu deſtructio fuit ſuprema quædam adoratio & honor DEO debitus, quem conditio humana reddere potuit.

Idem imprimis honor per deſtructionem rei oblatæ in Sacrificio Miſſæ exhibetur, offertur enim panis & præſentatur DEO ſicut particula noſtri dominii, cuius Jlle cum ſit Creator, Eidem offertur in homagium: *Suſcipe Sancte Pater hanc immaculatam hoſtiam*, atque poſt aliquo temporis intervallo eadem particula ſimili recognitione *DEUS meus es tu quoniam bonorum meorum non eges*, verbis conſecrationis penitus deſtruitur & vere annihilatur, jam non eſt ibi panis, ſed ſola manent accidentia ſimplicia, & quantitas ſeparata a ſubſtantia panis ex integro deſtructa; quod non fecerunt Synagoga, Gentiles, & Sacerdotum exuberans numerus, in millionibus millionum Sacrificiorum, victimarum & hoſtiarum conſumptarum ac in cinerem redactarum.

Jam ergo veteris ritus Sacrificium finitum eſt in deſtructione rei oblatæ, & per eam adoratione. Sed ubi veteres conſederunt, Eccleſia Catholica vix primum incipit. Deſtructio panis eſt nonniſi quoddam principium noſtri myſterii, & quædam prœvia diſpoſitio. Sacerdos non ſubſiſtit in ea actione ſubſtantiæ panis deſtructiva, ſed ubi verbis conſecrationis ſubſtantiam panis deſtruit, mox nulla interjecta mora, iiſdem ipſismet verbis ſub relictas deſtructœ panis ſubſtantiæ ſpecies (idem crede de Conſecratione Calicis) introducit Corpus Chriſti verum & vivum, cum anima & Divinitate unitum, illud inquam ipſum quod è caſtiſſimis Mariæ viſceribus in hanc lucem fuit editum, & nunc eſt ad dexteram Patris collocatum. Atque hæc eſt materia noſtri Sacrificii, hic Agnus, qui ſuſtulit peccata mundi, brevi poſt, modo ſibi proportionato, id eſt myſtico, DEO Patri litandus, offerendus; hæc victima DEO ſummè digna, quia Divina. hic honor, hic cultus eidem ſuppar, imo naturæ Divinæ ratione idem ipſe quem habuit habetque DEUS ab æterno.

DEUS Pater habet honorem in ſemetipſo, & quando produxit (Patri enim titulo quodam ſpeciali tribuitur omnipotentia) Angelos, & cæteras creaturas, propter ſemetipſum operatus eſt, ut inde ſibi vendicaret honorem, amorem, admirationem, & adorationem ſuarum perfectionum. S. Maximus pia quadam meditatione obſervat *DEUM ipſum colere Religionem, & univerſum hunc orbem quaſi templum erectum in honorem ſuæ Divinitatis.* Hic congregat omni die omni hora multitudinem Cantorum, Muſicorum, diviſam in varios choros, occupatam in narrandis & laudandis potentiæ & juſtitiæ ſuæ mirabilibus. Qui ſunt iſti Cantores? nonne Angeli, homines, cæli, planetæ, elementa. *Cæli enarrant gloriam DEI & opera manuum Ejus annuntiat firmamentum* Sed enim productio Angelorum, hominum, cæterarumque creaturarum, & honor quem inde DEUS obtinet, non

est actus ille excellentissimus Religionis Divinæ. non est supremus honor, non est operatio perfectissima omnipotentiæ Divinæ, quæ per ejusmodi productionem ne utiquam exhauritur, hinc consecutione legitima sequitur, quod neque sit terminus & consummatio suæ gloriæ, adeoque nec perfectissimum Sacrificium.

Terminus & consummatio gloriæ Divinæ ab æterno est operatio immanens, seu phrasi scholasticorum; ad intra. Unde consummatio gloriæ Dei Patris est productio Verbi seu Filii, per quem fecit sæcula. qui est imago DEI invisibilis, *splendor gloriæ & figura substantiæ ejus* juxta Apostolum verbum enim Divinum, quod ex ore id est ex mente & intellectu Altissimi prodiisse dicitur Sap; c. 7, cum sit terminus cognitionis Patris, seu formalis, ad instar speculi repræsentatio eorum omnium, quæ a DEO cognoscuntur, formata quippe cogitatio ut ait Augustinus *ab ea re quam scimus, verbum est quod in corde dicimus, est gloria Patris infinita, omniumque Sacrificiorum* verbis D. Nazianzeni *apex.* Supremum itaque & excellentissimum Sacrificium infinitam DEO Patri exhibens gloriam, est Generatio Verbi, quia per eam cognoscitur DEUS non solum ut supremus rerum quotquot possunt creari Eumque laudare, Dominus, a nullo prorsus dependens, verum etiam prout habens Filium, splendorem gloriæ suæ, per quem fecit omnia, Filium inquam procedentem ut pote per Intellectum vi sua in natura assimilantem Filium sibi æqualem, consubstantialem, & coæternum *Filius meus es Tu, Ego hodie* (id est ab æterno, seu ante luciferum, & a diebus æternitatis, ut habent Psaltes & Michæas) *genui Te* per eam generatione verbi æterni, terminat opus suæ Religionis, quoniam per eam recipit tantum honorem, quantumquantum recipere potest.

Quæ cum ita ſint, non erit, mihi crede, exaggeratio, aut vana ſupra Angelos conditionis humanæ exaltatio ſi ſobrio ſenſu dixerimus ſimilem in myſterio Altaris honorem DEO Patri a Sacerdotibus exhiberi. Cum enim Sacerdotalis Miniſterii terminus (ut loquuntur Scholæ) formalis ſit ponere ſub ſpeciebus panis verbum Divinum, illud offerre DEO Patri, nos Sacerdotes dum incipimus deſtruere panem, mox virtute eorundem verborum, quibus deſtruitur panis facimus incarnari naſcique Verbum, damus illi novam vitam, novam ſpeciem exiſtentiæ, ponimus in novo ſtatu & figura victimæ, & in tali ſtatu prout eſt noſtrum offerimus & reddimus illud DEO Patri.

O quanta Religionis noſtræ dignitas! quæ gloria Sacerdotum, per quos non rogus accenditur, non armata cultro manus vilem animalium fundit ſangvinem, non inter fumos & cineres ſua complet Sacra, ſed Sacerdotes ſunt illi, in quorum manibus quotidie Chriſtus incarnatur. Sacerdos realiter producit Chriſtum verbis hujus ipſius Verbi, quod *dixit & facta ſunt omnia* producit Filium, ſed hic Filius non eſt Filius Sacerdotis, eſt Filius DEI Patris, Hunc Filium ſuum offerimus DEO Patri: *Aſpice DEUS & reſpice in faciem Chriſti Tui.*

Et quæ tandem comparatio Sacrificiorum veteris Legis, ſi cum noſtro conferantur? In veteri Teſtamento, quando hoſtia fuit deſtructa, totum fuit finitum, & DEO nihil fuerat reſidui at verò in nova lege deſtructio Hoſtiæ eſt quædam præparatio & quaſi infimus gradus amoris noſtri, progredimur in infinitum, neque ceſſamus, donec ponamus in Altari DEUM verum & vivum, atque ſic honoramus DEUM dono Illi æquali in ſatisfactionem infinitam juſtitiæ Illius debitam, atque plenam recognitionem. *Aſpice DEUS* non in agnellum intra cineres & fumum balantem, *ſed reſpice in faciem Chriſti Tui.*

Quod si plura scire desideras, audies fortè mirabiliora. In Missa habetur Sacrificium illud ipsum, quod DEUS Homo conversando in terris obtulerat DEO, & Sacerdos in Sacrificio Altaris reddit DEO honorem illum, quem DEUS Homo reddidit in cruce, atque sic pervenimus ad eundem adorationis gradum, quem Jlle fecit sua morte.

Mysterium Incarnationis factum est ex suppositione consequente propter reparandum honorem & resarciendam injuriam per peccatum illatam DEO. Cum enim peccatum non potuerit deleri nisi satisfactione infinita, actum est consilio Sapientiæ Infinitæ, ut Verbum seu Filius per Incarnationem fieret minor Patre, redigeretur in servitutem & humiliaretur usque ad imum, possetque dicere Pater major me est. Et de facto eo fine venit Salvator in mundum, ejus Religio fuit vita dependens a DEO Patre in suis actionibus, occupationibus, ac desideriis voluntatis, per quæ plenam inæqualitatem & dependentiam declarabat fuit servus, Discipulus, Legatus, Propheta, humiliatus, obediens, derelictus, quæ omnia declarabant Patrem esse Jllo majorem, quæque fuerunt ceremoniæ & ritus suæ Religionis per quos ritus DEO honorem referebat.

Cæterum actus magis excellens suæ Religionis, quo suprema ac infinita adoratio completa,& per quem resarcita omnis injuria DEO per peccatum illata, fuit, illa humiliatio extrema usque ad mortem peracta in monte Calvario, ubi Christus humiliavit semetipsum, factus non solum servus & subditus Patris, sed etiam victima sacrificata illius honori, destructa, consummata & redacta ad ultimum quasi annihilationis statum per mortem. *Consummatum* est, dixit Christus Joan: 30. Completum est magnum Sacrificium. ostendit Christus sua morte non solum quod DEUS esset rerum creatarum Dominus, superior DEO Homine prout homine, sed insuper quod leges justitiæ postularent ut DEUS Homo qua homo crucifige-

retur, moreretur in ſatisfactionem pro homine. *Conſummatum eſt.*

Vide igitur quo evaſit Sacrificii hujus dignitas, nullum prorſus eo ſublimius ac excellentius cogitari unquam poterit conſummatum eſt. Hoc ſolo & DEI offenſi majeſtati. & debitæ inter offenſum offenſoremque æqualitati factum ſatis, imo ſententia Patrum pluſquam ſatis, *dum quod potuit facere gutta, fecit unda.*

Duarum Religionum Sacrificia in myſterio Altaris contineri demonſtravimus, ſupereſt ut ad ſpectandum. Religionis tertiæ Sacrificium mentem & animum transferamus. Finem huic Sacrificio imponit Conſecratio Sangvinis JESU Chriſti Domini noſtri verbis aliis & differentibus ab iis, quibus Corpus Chriſti conſecratur prolata, talique myſterioſa conſecratione, tria obſervatu digna litamus.

Primó Agimus memoriam mortis JESU Chriſti Domini noſtrí crudeli & mortali vulnere Eidem illatæ per ſeparationem Sangvinis a Corpore cruci affixo; Hæc repræſentatio effuſi Sangvinis e venis Salvatoris repræſentat æterno Patri mortem Ejus Filij, quæ ſicut eſt conſummatio omnium honorum & Sacrificiorum juxta dicta, ita nos elevando Calicem, glorificamus eundem Patrem admirabilem & ad eum adorationis cultum pervenimus, quem ipſemet ſummus Sacerdos Chriſtus perfecit.

Secundò. Non ſolum renovamus memoriam mortis JESU Chriſti Domini noſtrí, ſed præterea offerimus reipſa Eundem qui fuit mortuus, ac etiamnum retinet in Corpore ſuo vulnera, ceu ſigna mortis doloroſæ, monſtramuſque Divinæ Juſtitiæ peccatis noſtris offenſæ. *Aſpice DEUS.*

Tertió. Ineffabilem myſteriorum conſummationem Sacrificijque noſtri apicem offerimus Chriſtum Dominum, non ſolum in eo ſtatu prout eſt gratiſſimus juſtitiæ Divinæ, ſed in ſuper prout eſt objectum & oblectamentum amoris Divini, ́quale certo

fenſu ex ratione ſuſceptorum in ſe peccatorum noſtrorum non videtur fuiſſe in monte Calvario. Quando enim verſus cælum elevamus manibus noſtris eundem Filium Divinum, volumus quaſi dicere *Aſpice DEUS in faciem Chriſti Tui* non ſolum in ſatisfactionem juſtitiæ, plagis laceratum, & ſignum ſacrificatæ obedientiæ, ſed inſuper aſpice in circumdatum gloria, decore, honore, victoria & triumpho.

Capiſne & ſentis anima mea hæc tria veriſſima, ſed ejus qui Divini amoris vim non penetrat, captu profectò difficilia. Salvator in manibus noſtris talis eſt victima, qualis fuit in cruce. & ſimul eſt vivus & impaſſibilis prout eſt in ſinu Patris, in ſplendoribus Sanctorum, eſt veraciter immolatus pluſquam Tauri arieteſque conſumpti ac in cinerem redacti, & tamen remanet integer & in vulnerabilis. pluſquam Angeli. Jlle habet mortem in corde vulnerato plaga crudeli, quam Divinæ juſtitiæ offenſæ repræſentat, & eodem tempore habet vitam in corde victorioſam & immortalem, qua mortem captivat. Talem nos illum offerimus DEO Patri, quando elevamus Hoſtiam. Atque hæc eſt omnipotentis ſapientiæ Divinæ & perfectæ Religionis noſtræ gloria.

Enim vero talem litando victimam juſtum habemus motivum gloriandi coram DEO de noſtra Religione, quæ tantum Jlli reddit, quantum Jlle miſericorditer conceſſit *ſic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret* ſumme DEUS Tu nos amaſti ſic, ut Filium Tuum dares nobis, & nos Te amamus ita, ut eundem Filium Tuum redonemus Tibi: & ſicut Tibi non fuerat ſatis creaſſe propter nos cælum & terram, nos pariter non ſatis habemus offerre Tibi cælum, terram totumque hunc univerſum, ſed progredimur in infinitum, & quem Tu actum amoris erga nos in monte Calvario demonſtraſti, dando nobis Filium Tuum unigenitum in pretium redemptionis; eundem amoris actum nos rependimus, reſtituendo Tibi eundem ipſum Fi-

lium Tuum in Hoſtiam gratitudinis & coronam gloriæ Tuæ. Tu nobis dediſti Filium ſangvine perfuſum, & plagis gravatum in exemplum patientiæ & ſanctitatis, & nos Tibi eundem ipſum reddimus circumdatum gloria ut obiectum complacentiæ & amoris.

Hoc videtur contemplaſſe David Pſal: 105. dicens: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ tribuit mihi.* Quærebat ille modum quo poſſet dignas Creatori ſuo referre gratias pro tot acceptis ab Eo beneficiis, & invocando cælos, aſtra, nationes omneſque creaturas ad concinendas una ſecum Ejus miſericordias & laudes, jam ſuis ſatisfeciſſe votis quodammodo autumabat, ſed poſteaquam mediante revelatione cognovit myſterium Jncarnationis, & didicit futurum eſſe Sacrificium cruentum in ara crucis à Salvatore offerendum, ac etiam incruentum in Sacramento Altaris per Eundem inſtituendum, renuntiat David omnibus auxiliis creaturarum ut pote inſufficientibus ad perſolvendas digne DEO laudes, ità pænè ſecum diſſerens in ſpiritu: taceant Principes, Reges, Angeli, omneſque prorſus creaturæ, non moriar donec perſolvam cultum DEO debitum Jpſoque dignum. Video calicem pretioſum in altari veræ Religionis, per hunc meæ obligationi ſatisfaciam, Calicem ſalutaris accipiam, intingam lingvam meam in hoc calice, aſpergam labia mea ſalutari ſangvine, recipiam DEUM in cor meum, & tali corde pleno DEO promam laudes in recognitionem tam beneficii creationis, quam earum omnium gratiarum, quas ſpecto promanare è monte Calvario, & nomen Domini invocabo.

Pudore afficiantur Heterodoxi quod de ſacris myſteriis ſic exccellenter effari nequeant, non habent Sacrificium, carent honore adorandi DEUM perfectiſſimè ſine effuſione ſangvinis, & induendi in ſe perſonam Chriſti ad obeundum miniſterium Altaris,

Sacrificiumque excellentiſſimum peragendum : ſed neque id merentur, aut præſtare poſſunt, eo quod ſucceſſionem ordinationis & ſacerdotii turpiter amiſerunt.

Noſtra Religio Catholica eam ſibi vendicat laudem. Fatetur illa in myſterio Altaris verum Corpus & Sangvinem Chriſti, Paſſionis ejuſdem *memoriale perenne figurarum veterum impletivum, miraculorum ab Ipſo factorum maximum* prout loquitur Angelicus atque per hoc myſterium, miniſterio ſuo præſtat honorem & cultum DEO dignum, contra quam ſe præſtare ſomniant Acatholici.

Neque vero abſque ſuo ſpirituali commodo id perficit? magna hinc Miniſtris Altaris atque de hoc Altari ſumentibus fit meritorum acceſſio illud ſiquidem Auguſtiſſimum Sacramentum (ſi quod aliud) eſt practicum ſignum gratiæ, quam qui habet, evadit amicus, imo etiam Filius DEI per adoptionem. Quid ultra (ſed o quanta in nos DEI bonitas, quantum Ejus amoris pignus) Corpus ſuum in cibum, & ſangvinem ſuum in potum ſub ſpecie panis & vini ſumendum Chriſtus Fidelibus dereliquit ut eo magis cum Eo uniamur, in Eum tranſformemur, reddamur concorporei, conſangvinei, unum corpus efficiamur, & unum quid cum Eo ſimus, tanquam Corpus Capiti coaptatum; En quo in ſtatu homo dignè celebrans ſive ſacram Synaxim ſumens conſtituitur, cum & DEUM prout par eſt laudare, honorare, & pro gratiis æqualem gratiam referre, & pro ſuis multorumque peccatis ſatisfacere, & cum DEO in gratiam redire, Eidemque reconciliari & omnia tam ſibi quam aliis bona exorare valeat.

Quatuor cum obligationibus naſcitur omnis homo. Prima eſt DEUM diligendi & perfectiones Ejus adorandi. Secunda, gratias referendi pro acceptis tot donis Divinæ miſericordiæ & clementiæ. Tertia, ſatisfaciendi pro ſuis peccatis : naſcimur quippe in peccato, vivimus peccatores, peccamus quaſi omni

tempore vitæ noſtræ, hinc ultra contritionem, & pænitentiam manet nos ſatisfactio pænæ. Quarta obligatio impetrandi ſibi & aliis multa a DEO beneficia, cum nihil aliunde habere poſſimus niſi a ſolo bonorum omnium Authore DEO. Tenemur ſubvenire indigentibus, non ſolum amicis, verum etiam inimicis, cum ſimus illorum fratres habemuſque legem cordi noſtro inſcriptam quæ nos ad compaſſionem ſtringit *Græcis, Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum*, dicebat Apoſt: ad Rom: 1. Has prægrandes obligationes ut implere poſſimus, neceſſe eſt cum David de *intreire in potentias Domini.* Multæ inſuper alioe ſunt obligationes & neceſſitates, quæ nequidem ſufficienter enumerari, multominus adimpleri obtinerique naturæ viribus poſſunt.

Hic, quem Sacra in Euchariſtia ſumimus. Redemptor noſter poſſidet quatuor potentias per quas facit totum, quodcunque faciendum remanet ad ſatisfaciendum atque præſtandum DEO Patri, & ſunt 1. ſua vox. 2. Sua vulnera. 3 Sua imago. 4. Suum Cor. *Sua vox* per quam creavit mundum & conſtitutus eſt principium naturæ & vitæ. *Sua vulnera*, quibus redemit mundum, deſtruxit peccatum & mortem, & conſtitutus eſt principium reſurrectionis ſalutis & gratiæ. *Sua imago* & pulchritudo vultus Ejus, quibus præmiat merita Angelorum & Sanctorum conſtitutuſque eſt principium gloriæ & gaudii, quæ in perpetuas æternitates durabunt in paradiſo. ac denique *Suum cor* unde proceſſit Spiritus S. & amor quo conſtitutus eſt principium æternitatis & conſumatio omnium felicitatum DEI Patris.

Communicare eſt perſonam Chriſti induere, intrare in Ejus potentias, & non operari niſi per Ipſum & cum Ipſo. Feliciſſimo proinde illo momento, quando intra viſcera noſtra recipimus Sacroſanctam Hoſtiam, loquimur voce Chriſti, & illa fundimus preces pro nobis noſtriſque proximis, exo-

ramus gratias non ſolum nomine Chriſti Salvatoris noſtri, verum etiam ſua voce, ſuis verbis, & quemadmodum noſtræ manus chyrotecis opertæ non tangunt aliquid, quin prius rem illam tangat chyroteca, ſic noſtra vox juncta voci Chriſti Filii DEI, non loquitur niſi voce Filii DEI, cujus poteſtas eſt infinita, nos eo tempore ſumus in ſtatu ſatisfaciendi non ſolum debito amicitiæ verſus noſtros parentes, conjunctos, beneſactores, ſed etiam obligationi charitatis erga omnes indigentes, ſumus in ſtatu impetrandi hominibus etiam in remotiſſimis partibus conſtitutis plenam proſperitatem & conſolationem, quamvis eorum neceſſitates non prævidemus, quia Jlle eſt DEUS omniſcius qui rogat pro nobis & nobiſcum.

Communicando recipimus vulnera Chriſti cum Corpore Ejus. Hæc fiunt quodammodo noſtra & ſunt infiniti meriti. DEUS Pater videt ea, & ſicut ſibi infinite ſunt chara Filii vulnera, ſic benevolentiſſimè concedit remiſſionem illi, qui in perſona Filii. & per Vulnera Ejus interpellat.

Denique cum maxima obligationum noſtrarum ſit amare DEUM ſuper omnia, quod lex nobis inſita jubet, Prophetæ, Evangeliſtæ ac Jpſe Magiſter noſter mandavit, in executionem hujus obligationis, nil præſtantius adferre poſſumus, quam ſi intremus in Cor JESU, & uniamus noſtrum affectum Jpſius amori, atque ante conſpectum æterni Patris compareamus, dicendo: *Protector noſter Aſpice DEUS*, Magne DEUS en Tibi amorem quo dignus es, & quem Tibi exhibære debeo: ſi mihi dixerit DEUS, amor hic non eſt Tuus, verum equidem Domine (reſpondebo) non eſt meus, ſed quia meus non ſufficit, *reſpice in faciem Chriſti Tui*, qui in me eſt, & ego illo nunc diſpono, atque Tibi offero, & ſi hic amor infinitus Tibi infinite placet, non confundas me vilem creaturam, ſuſcipe donum Cordis JE-

SU & miserere mei obligationemque amandi Tu supple, & comple amore amabilissimi JESU.

Positis his omnibus, concludendum est, quod homo mortalis nunquam possit meliore frui sorte, quam dum Sacram Synaxim debitis cum dispositionibus recipit, tunc enim vero anima hominis juxta effatum Prophetæ *quasi sponsa ornata monilibus*, & decore JESU Christi circumdata apparet in conspectu DEI & cæli. Et quanquam sub his vestimentis salutis portemus nostras infirmitates & miserias, hæ tamen sunt copertæ. Unde quemadmodum deformitas nostri vultus circumdata radiis & splendoribus solis redditur inperceptibilis, ita quando in die solemnitatis nostræ induimus illam vestem cælestem splendor & pulchritudo admirabilis Sanctissimæ humanitatis Christi penetrat sine læsione sui omne id, quod est imperfectum in anima nostra adeo ut nihil aliud in nobis appareat, quam puritas atque sanctitas & hæc quidem infinita, quia DEI & hominis Christi nostri.

Compareamus itaque sicut Jacob vestiti odoriferis vestimentis majoris Fratris nostri, & accedendo cælestem Patrem dicamus; Dilectissime Pater ecce de venatione mea Tibi offero id quod Tibi magis charum est, & quod a me desiderasti, suscipe me in filium, impertire benedictionem paternam, & da precor hæreditatem. Speremus firmiter, quod recipiendo nos in sinum suum dicturus sit Pater: *vox quidem vox Iacob est sed manus manus sunt Esau ecce odor Filii mei*, hoc donum, hic odor placent mihi: quapropter & benedictionibus replebit, & hæreditatem nostram in æternitatis parte constituet.

PRÆPARATIO.

AD

SACRAM COMMUNIONEM.

Quæ licet non consistat in recitatione multarum precum, quibus tamen deest facilitas meditandi suffragari poterit etiam hæc occupatio, quanquam melius foret internis affectibus se se disponere, atque eam dispositionem in usum inducere.

CONSIDERATIO

De Institutione Sanctissimi Sacramenti.

1. Institutum est Sanctissimum Sacramentum pro confirmatione Ecclesiæ, sicut enim panis materialis corpus nutrit, cor roborat, ita hic panis cælestis Corpus Christi mysticum quod est Ecclesia seu Fideles, alit, vegetat, confirmat in spiritu & manet in nobis juxta Math: 28. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

2. Pro Fidei & amoris nostri documento, dum sub velamento specierum absconditus & invisibilis credi vult & amari.

3. Pro purificatione nostri a maculis peccatorum sangvis enim Christi emundat conscientias nostras ab operibus mortuis juxta Apostolum.

4 Pro consolatione in tribulationibus cum Ipse in hoc Sacramanto sit noster Pater Misericordiarum & DEUS totius consolationis.

5 Pro unione nostri secum. quid enim magis unitur quam alimentum cum alito, undê sumentes Christum reddimur quodammodo concorporei & consangvinei, non tamen mutatur in nos Christus sed nos in ipsum conformamur.

6. Pro illuminatione noſtra tam in vita quam in morte ſicut Lucæ. 24. Diſcipulorum oculi ſunt illuminati dum eis frangeret panem.

7. Pro viatico noſtræ peregrinationis ad patriam cœleſtem, unde ſolet dari in viam œternitatis.

8. Pro pignore beatitudinis œternæ, unde canit Eccleſia o Sacrum convivium in quo Chriſtus ſumitur & futurœ gloriæ nobis pignus datur.

Cogita hic an tales fructus ſentias, an poſt frequentes Communiones in fide JESU Chriſti fortiôr, in amore ferventior in conſcientia ſecurior, in mente purior evaſeris. Erumpe in affectus nomine totius Eccleſiæ. Elicias actum fidei, amoris, humiliationis, gratitudinis, ora ut te hoc fructu repleat, & propone aliquo opere ſingulari amorem JESU teſtari.

CONSIDERATIO
Quomodo accedendum ad Sanctiſſimum Sacramentum.

1. Cum viva fide hujus myſterii tam abſconditi. nam in cruce latebat ſola Deitas, aſt hic latet & humanitas, utraque tamen credi debet.

2. Cum conſcientia pura non ſolum ab omni peccato, ſed etiam ab omni affectu ad illud.

3. Cum prôfunda reverentia tam externa quæ conſiſtit in modeſtia & collectione omnium ſenſuum, quam internâ quæ conſiſtit in humiliatione coram DEO.

4. Cum timore & tremore. Judex enim eſt ad quem accedimus in cujus manu eſt mors malis & vita bonis.

5. Cum meditatione paſſionis JESU Chriſti. *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis.*

6. Cum propoſito inſtituendi meliorem vitam, ut ſvadet S. Auguſtinus: *mutet vitam, qui vult ſuſcipere vitam.*

Facienda eſt intentio lucrandi indulgentias, quæ ſunt permultæ conceſſæ, pro actibus virtutum, pro impletione functionum communium quæ in Religione fieri conſuevêre, pro ſtationibus urbis. Quapropter dic ad intentionem Eccleſiæ Sex Pater, ſex Ave, duodecim Gloria Patri, & Credo.

Accedendo ad Sacram Communionem.

Domine unde mihi hoc ut Dominus & DEUS meus venias ad me, & uniaris mihi. Quis es Tu Domine, & quis ſum ego. Tu es abyſſus eſſentiæ & ego nihili, Tu es ſuprema intelligentia, incomprehenſibilis ſapientia, ego mera cœcitas & inſipientia. Tu es mare bonitatis, ego vorago omnis malitiœ, Tu es fons omnis puritatis, ego cloaca omnis fœditatis, Tu es Rex meus, ego rebellis ſubditus, Tu es Pater miſericordiarum, ego filius prodigus, Tu es Paſtor meus, ego ovis errabunda. Tu es Filius Virginis, ego filius iræ, Tu es DEUS meus, ego miſera creatura. Quomodo ergo præſumam ad Te accedere: Domine non ſum dignus propter peccatorum gravitatem, Domine non ſum dignus ob tantorum beneficiorum ingratitudinem. Domine non ſum dignus ob Tuam ſublimitatem & meam vilitatem. ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo & ſanabitur anima mea.

Verum ingredere Domine in cor meum cum illo amore, quo intraſti in caſtiſſimum uterum B. V. Mariæ, in illa patientia, qua intraſti Caiphæ carcerem, qua aſcendiſti crucem. Credo quia tu es Rex meus & Salvator.

Recedendo a Sacra Communione.

Ecce quod concupivi, habeo. quod ſperavi, jam teneo, ipſum ſolum poſſideo, quem toto corde diligo. Adoro Te devotè latens Deitas toto me univerſo humano Angelico & Mariano cultu. Credo Domine & procidens adoro Te cultu Latriæ. Credo quia Tu es Filius DEI vivi, qui ad me deſcendiſti. Dilexiſti me & temetipſum tradidiſti propter me, in hac fide vivo & mori deſidero. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini Sancto Ejus. Quid enim mihi eſt in cælo, & a Te quid volui ſuper terram. DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.

ACCESSUS
AD
ALTARE.

1. Quod olim piiſſimus Regum David de templo per Salomonem conſtruendo dixerat 1. Paralip. 29. Opus grande eſt, neque enim homini præparatur habitatio ſed DEO, idem potiori jure cogitandum ſemper Sacerdoti ad miniſterium Altaris acceſſuro. Mirum eſt quoſdam Sacerdotes non præmiſſa, toto interdum ſeptimanæ fluxu, confeſſione, illud accedere, quaſi verò ſufficientem confeſſionis materiam peccata ſcilicet venialia, aut mortalia anteactæ vitæ, invenire non poſſent, cum tamen DEUS, qui in ſole poſuit tabernaculum ſuum juxta Pſal. 18, Sacerdotem velit eſſe perſimilem cryſtallo aquam in ſe limpidiſſimam continenti, prout patet ex vita S. Franc: Aſſinatis. Et quantum ſit odibilis coram DEO Sacerdos in peccato celebrans, conſtat ex revelatione horribili S. Birgittæ Lib: 1. c. 47.

2. Doctor Angelicus D. Thomas opusc. 58. c. 31. Sacerdotem celebrantem comparat Sacro Corporali, quod antequàm ad usum reponendæ in se S. Hostiæ assumatur, prius lavatur, deinde præmitur, tum ad solis radium siccatur. Pari modo celebraturus Sacerdos, recepturus in se Corpus Domini primum debet lavari lachrymis pænitentiæ, postea adhibere aliquas sui corporis afflictationes, ac denique igne amoris Divini exsiccare omnes vapores terrenorum affectuum & se totum dare in fervorem devotionis.

3. Salvator noster Sanctissimum Corpus suum sepeliri voluit in sepulchro novo, in quo nondum quisquam positus fuit. Voluit præterea idem Corpus involvi syndone munda & inungi odoriferis aromatibus. Per novum ejusmodi sepulchrum renovatio Spiritus & remotio ex corde cujusvis idoli tanquam Dagon abjecti ab Arca veteris Testamenti: per Syndonem mundam, corporis mundities & conscientiæ puritas: at vero per aromata fragrantia virtutum & orationum odor juxta Psal. 140. & Apocalyp. c. 5. designantur. Porro inter orationes vocales primum locum obtinent illæ, quas in principio Missalis præscripsit Ecclesia, & nos mox infra adferemus.

4. Præsuppositis Matutino saltim cum Laudibus, & Sacramentali Confessione tempestivè (ut habet Ceremoniale, Ord. pr. 2. c. 1. § 1. n. 1.) præmittenda, imo etiam ex D. Thoma aliqua corporis afflictatione, ut sunt jejunium, flagellatio, chameunia seu humi cubitus, Cilicium, prolixior expansis in formam crucis manibus oratio &c. videatur an sint omnia ad Missam requisita quo ad locum, tempus, altare, paramenta, materiam, lumen, Ministrum, Missale &c. tum præmissis exacta Intentione, Præparatione, imo etiam utroque Memento, ne huic intra ipsam celebrationem diutius immorando, tæditum adferat adstantibus signet Missam

cum neceſſariis orationibus, Præfatione, reflectendo ſese ad ea quæ interdum dici, interdum omitti ſolent, ut ſunt Gloria, Credo, Ite Miſſa &c.

5. Quod attinet Memento Vivorum, reflectat ſe ad triplicem titulum 1. Juſtitiæ ſub quo veniunt Eccleſia, Pontifex, Rex, Reſpublica, Parentes, Fundatores, Benefactores, & ſangvine juncti. 2. Obedientiæ quo intelliguntur omnes per legem & ſuperiorem commendati. 3. Charitatis, quo nomine accipiendi amici, inimici, captivi Chriſtiani & alii in variis neceſſitatibus, præſertim autem periculis animæ conſtituti. Sunt qui ſibi ſuiſque amicis reſervato Corde Crucifixi, inimicos in vulnere brachii, cæteros in reliquis Ejus vulneribus reponunt. Neque deſunt, Cavalieri teſte, qui per caſus Grammaticales diſcurrant, & ſeipſos ſub Nominativo, Parentes, Fratres, Prælatos &c. ſub Genitivo, Benefactores & amicos ſub Dativo, inimicos & perſecutores ſub Accuſativo, Infideles & Hæreticos ſub Vocativo, afflictos atque a ſe ſcandalizatos ſub caſu Ablativo in memoriam revocant.

6. Eodem, ſervata proportione, modo inſtituendum Memento Defunctorum, quorum memoriam in Sacrificiis nunquam fuiſſe intermiſſam conſtat tum ex Liturgiis SS. Jacobi, Marci, aliorumque, tum ex teſtimoniis SS. PP. Clementis, Cyrilli, Tertulliani, Cypriani, Ambroſii, & præcipuè Chryſoſtomi, hom. in Epiſtola ad Philippum, ubi ſic loquitur: *Non fruſtra inſtituerunt Apoſtoli, ut cum tremenda Myſteria celebrantur fieret eorum commemoratio, qui ex hac vita deceſſerunt: ſciebant enim magnum inde lucrum, multamque utilitatem eis provenire. Cum adſit populus univerſus, & collegium Sacerdotale manus attollat, & coram poſita ſit tremenda Hoſtia, quomodo iram DEI non placabimus?* Addit grande pondus authoritas Auguſtini lib. de cura pro mortuis cap. 1. ſic ſcribentis: *In Machabœorum libris legitur oblatum pro mortuis*

Sacrificium, sed, & si nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consvetudine claret, auctoritas, ubi in præcibus Sacerdotes, quæ ad Altare Domino DEO funduntur, locum suum habet & commendatio mortuorum.

7. Missa cum quinque Literis A B C D E. videlicet Attente, Breviter, Clarè Devotè, & Exactè celebranda. *ATTENTE*, hoc est attendendo ad verba, ad sensum, ad Jesum Christum, imó etiam ad Actus Virtutum, qui sub qua Missæ parte exerceri possunt, ut Actus fidei sub Credo, Elevatione, Sumptione, Actus spei sub Pater noster, Actus charitatis sub tempus præfationis & Trisagii, Actus doloris de peccatis sub Confiteor & Nobis quoque peccatoribus, Actus glorificationis sub Gloria in Excelsis: humilitatis sub verbis Domine non sum dignus, Actus adorationis sub genuflexionibus inclinationibus &c.

BREVITER, id est, non morosè, non nimium indulgendo propriæ devotioni cum tædio adstantium, sed secundum communiorem piorum morem & ad præscriptum Legum suæ Religionis, non tamen præcipitanter se gerendo aut festinè. Et licet Cavalieri l. 5. c. 7. n. 18. spatium temporis, intra quod Missam expediri conveniat, ad tertiam saltim horæ partem (sed nunquam ad minorem) restringi posse, cum universali, ut ipse ait, Doctorum Virorum SSque PP. opinione asserat, nobis tamen Religionis Canon cap. 11. § 1. n. 6. quo dimidia hora præscribitur, retinendus. Hunc Canonem ne quidem devotionis prætextu transgredi perfectum foret S. Philippus Nerius, ut in ejus admirabili vita Petr. Bacci l. 1. c. 19. n. 9. fcriptum reliquit, volebat quod suæ Congregationis Sacerdotes devotè quidem & cum debita gravitate, prout tanti Mysterii dignitas expostulat, non tamen nimis proli-

xe, & cum adſtantium tædio Miſſam celebrarent, & ſi qui illorum exceſſiva quadam ſpiritus voluptate abrepti Miſſam últra medietatem horæ protraxiſſent, eos, ut intra ſe dicerent, hortabatur; Non palam has delicias, ſed clam in cubiculo magis optarem.

CLARE, id eſt pronuntiando verba diſtincte non corrupte, non langvide, non nimis altè, nec nimis ſubmiſſè ſed ita, ut quæ clara voce ad præſcriptum Ceremonialis Ord. p. 2. c. 1. § 13. dicenda ſunt, non clamoroſe enuntientur, poſſint tamen audiri a circumſtantibus: quæ vero ſubmiſſè, audiri poſſint a ſe ipſo.

DEVOTE idque tam exterius per modeſtam & circumſtantes ædificantem non tamen affectatam corporis compoſitionem, quam etiam & multo magis interius per erectionem mentis ad DEUM: atque hæc interior devotio, cum ubique tum præſertim ſub tempus elevationis & ſumptionis cum petitione finalis gratiæ habenda, uti etiam ad Hanc igitur ſub illis verbis: & in Electorum Tuorum jubeas grege numerari: nec non in altera ex tribus ante ſumptionem orationibus ſub hæc verba & a Te nunquam ſeparari permittas.

EXACTE, ut nimirum, ea omnia quæ in Rubricis ſunt præſcripta, ſerio ſerventur, monente Apoſtolo 1. Cor. 14. *Omnia honeſte & ſecundum ordinem fiant.*



PRÆPARATIO.

Sacerdotis ad Miſſam.

ANTYPHONA

NE reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum: neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Quæ Antiphona in Feſtis Duplicibus tantum duplicatur, & tempore Paſchali additur in fine Alleluia. *Deinde dicuntur ſequentes Pſalmi.*

PSALMUS 83.

QUam dilecta tabernacula tua Domine, virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea, exultaverunt in DEUM vivum.

Etenim paſſer invenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & DEUS meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt Te.

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs Te: aſcenſiones in corde ſuo dipoſuit, in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur DEUS deorum in Sion.

Domine DEUS virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe DEUS Jacob.

Protector noſter aſpice DEUS: & reſpice in faciem Chriſti Tui.

Quia melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia.

Elegi abjectus eſſe in domo DEI mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam & veritatem diligit DEUS: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in Te.

Gloria Patri &c.

PSALMUS 84.

BEnedixiſti Domine terram tuam: avertiſti captivitatem Jacob.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.

Mitigâſti omnem iram tuam: avertiſti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos DEUS ſalutaris noſter: & averte iram tuam anobis.

Numquid in æternum irafceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem.

Deus tu converfus vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in Te.

Oftende nobis Domine mifericordiam Tuam: & falutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem fuam.

Et fuper fanctos fuos: & in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum falutare ipfius: ut inhabitet gloria in terra noftra.

Mifericordia & veritas obviaverunt fibi: juftitia & pax ofculatæ funt.

Veritas de terra orta eft: & juftitia de cælo profpexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra noftra dabit fructum fuum.

Juftitia ante eum ambulabit: & ponet in via greffus fuos.

Gloria Patri. &c.

PSALMUS 85.

INclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper fum ego.

Cuftodi animam meam, quoniam fanctus fum: falvum fac fervum tuum Deus meus, fperantem in Te.

Miferere mei Domine, quoniam ad Te clamavi tota die: lætifica animam fervi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam Tu Domine fvavis & mitis & multæ mifericordiæ omnibus invocantibus Te.

Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad Te: quia exaudifti me.

Non eft fimilis Tui in diis Domine: & non eft fecundum opera tua.

Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient & adorabunt coram Te Domine: & glorificabunt nomen tuum in æternum.

Quia miſericordia Tua magna eſt ſuper me: & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui inſurrexerunt ſuper me, & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt Te in conſpectu ſuo.

Et Tu Domine Deus miſerator & miſericors, patiens & multæ miſericordiæ, & verax.

Reſpice in me & miſerere mei, da imperium tuum puero tuo: & ſalvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam Tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me.

Gloria Patri &c.

PSALMUS 115.

CRedidi, propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ tribuit mihi?

Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego ſervus tuus: ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Diripuiſti vincula mea Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tui Jeruſalem.

Gloria Patri &c.

PSALMUS 129.

DE profundis clamavi ad Te Domine, Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intèndentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine. Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud Te propitiatio eſt: & propter legem Tuam ſuſtinui Te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri &c.

Deinde repetitur Antiphona.

Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum: neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Poſtea Sacerdos dicit:

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Pater noſter.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Ego dixi, Domine miſerere mei.
℟. Sana animam meam, quia peccavi Tibi.
℣. Convertere Domine aliquantulum.
℟. Et deprecare ſuper ſervos tuos.
℣. Fiat miſericordia Tua Domine ſuper nos.
℟. Quemadmodum ſperavimus in Te.
℣. Sacerdos tui induantur juſtitiam.
℟. Et Sancti tui exultent.
℣. Ab occultis meis munda me Domine.
℟. Et ab alienis parce ſervo Tuo.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus

AUres Tuæ pietatis, mitiſſime Deus, inclina precibus noſtris, & gratia Sancti Spiritus illumina cor noſtrum: ut tuis myſteriis digne miniſtrare, Teque æterna charitate diligere mereamur.

Deus cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum; purifica per infuſionem Sancti ſpiritus cogitationes cordis noſtri: ut te perfectè diligere, & digne laudare mereamur.

Ure igne Sancti Spiritus renes noſtros & cor noſtrum, Domine: ut Tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

Mentes noſtras quæſumus Domine, Paraclitus, qui a Te procedit, illuminet: & inducat in omnem, ſicut Tuus promiſit Filius, veritatem.

Adſit nobis quæſumus Domine, virtus Spiritus Sancti: quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis.

Deus, qui corda Fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

Conſcientias noſtras, quæſumus Domine, viſitando purifica: ut veniens Dominus noſter Jesus Chriſtus, paratam ſibi in nobis inveniat manſionem. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum Amen.

Gregorius XIII. cuilibet Sacerdoti dicenti ante Miſſam ſequentem orationem conceſſit Indulgentiam annorum 50.

EGo volo celebrare Miſſam & conficere Corpus & Sangvinem Domini Noſtri Jeſu Chriſti juxta ritum Sacræ Romanæ Eccleſiæ ad laudem omnipotentis Dei, totiuſque curiæ triumphantis, ad utilitatem meam totiuſque curiæ militantis, pro omni-

bus qui se commendaverunt orationibus meis in genere & in specie, & pro felici statu Sacræ Romanæ Ecclesiæ.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pænitentiæ, gratiam & consolationem Sancti Spiritus, perseverentiam in bobis operibus, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus Amen.

POSTULATIONES.

DOmine per omnem cordis Tui bonitatem da nobis omnibus, ut resipiscamus a malo & cognoscamus Te, ac nosmetipsos.

Tribue nobis amorem Tui super omnia prout scis, vis, & dignus es.

Da nobis omnibus veram omnis peccati præcipue mortalis detestationem & seriam emendationem.

Da mihi specialia auxilia in hoc vitæ statu constanter perseverandi, in quo bravium æternæ gloriæ apprehendere merear.

Præserva misericorditer a peccato omnes in proxima occasione illius constitutos. protege ne amittant gratiam finalem aut primam innocentiam, quin potius vincant omnes tentationes, & fortiter Tibi Deo suo adhæreant.

Da his omnibus qui sunt in peccato mortali efficacem gratiam agendi veram pænitentiam.

Da omnibus in vinea Christi operariis spiritum Apostolicum & zelum salutis animarum.

Extolle Ecclesiam Sanctam Catholicam & da gratiam omnibus hæreticis cognoscendi suos errores illosque abjiciendi.

Aufer velamen ab oculis perfidorum judæorum & illumina mentes omnium infidelium ut Te unum & trinum Deum verum agnoscant Tibique in veritate deserviant.

Largire omnibus Catholicis charitatem & amorosam memoriam tuæ amaræ passionis dolorumque Matris Sanctissimæ.

Tribue nobis cor tale quale habuerunt primi Christiani in fide immobile, in unitate perseverans in charitate Tua immutabile.

Da animabus purgatorii requiem æternam videant quantocyus faciem Tuam & Te glorificent.

Largire Ecclesiæ Tuæ Pastores bonos ut & ipsi a via æternitatis non aberrent, & oves sibi commissas ad cælum deducant.

Da Regibus & Principibus Christianis pacem & concordiam omniaque auxilia necessaria, quibus adjuti & populos sibi subjectos cum pietate regere & mandata Tua fideliter valeant observare.

Da omnibus afflictis solatium, spem desperantibus, dissentientibus concordiam, obstinatis resipiscentiam & cor contritum pœnitentibus.

Da nobis omnibus timorem tremendi judicii Tui sed timorem filialem, ut non offendamus Te ideo quod sis bonitas infinita.

Da insuper nobis omnibus ardentem devotionem utque ultimus in hac mortali vita cibus noster sit Tua caro, ultima cogitatio nostra sit Tua passio; ultimus affectus cordis nostri sit Tui amor, ac denique ultima verba sint Jesus Maria Joseph Amen.

Pro Dono Lachrymarum.

DEUS confugium meum, & unica spes miserorum cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur præsta mihi hanc gratiam propter Te & propter nomen sanctum Tuum, ut quoties de Te cogito, de Te loquor, de Te scribo, de Te lego, de Te confero, quoties Tui reminiscor, Tibi assisto, Laudes preces & Sacrificium offero, toties obortis lacrymis in conspectu Tuo copiose & dulciter fleam ita, ut efficiantur mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.

Ad B. V. MARIAM & Sanctos.

O Mater pietatis & misericordiæ B. Virgo MARIA ego miser, & indignus peccator ad Te confugio toto corde & affectu; precorque pietatem Tuam, ut sicut dilectissimo Filio Tuo in cruce pendenti adstitisti: ita & mihi nunc ad mensam, Ejus Divinam accedenti assistere digneris, ut Tuâ gratiâ adjutus Eum non indigne merear accipere. O Sanctissimi Patriarchæ Ordinis nostri, sanctique omnes Patroni mei & præcipue quorum hodie festa Ecclesia recolit dignemini orare pro me ut vestrarum precum merito adjutus Divinissimum Mysterium digne tractare, & sumere valeam.

AFFECTUS S. P. N. JOANNIS DE MATHA, Fundatoris Ord. SSS. TRINAT. Redempt. Captiv.

E Bibliotheca Mariana Societ. JESU Viennæ Austriæ.

MAgne DEUS! quid vis me facere, quia totus sum tuus.

Quis mihi dabit alas columbæ ut volem in desertum, & requiescam in solitudine?

Eheu quam longa est vita, & peregrinatio mea? DEUS meus! quando videbo illud, quod unice amo.

O DEUS! quantum deberem illi, qui cæli viam mihi monstraret.

Nihil mundani diligere, & ubique DEUM invenire animæ meæ vota sunt.

Quando dies aderit, quo vendere me queam ad captivum aliquem redimendum?

Nihil timeo præter DEUM, sed ita illum timeo ut

mallem millies mori, quam eundem leviter offendere.

Vix cogitari poteſt, quantum dulcedinis reperiatur in auſteritate cilicii, catenis ferreis, & cruce Jesu Chriſti.

Mathenſibus hiſce Affectibus ſubnecte:

V. In meditatione mea exardeſcet ignis.

R. Et exultabo in Deo Jesu meo,

OREMUS.

Accende in nobis, Magne Deus, eam perpetuæ charitatis flammam, qua B. Pater noſter Joannes exarſit, ut inſeperabiliter ibi tantum noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia, nimirum in te, ineffabilis dulcedinis & Majeſtatis Domine, qui in Trinitate perfecta vivis, & regnas.

RECESSUS AB ALTARI.

Nomine receſſus ab Altari (ut ſcilicet conveniat etiam non Sacerdotibus) intelligimus totum id quidquid a Sumptione Sanctiſſimi Sacramenti, faciendum reſtat. Sumpta itaque (& quidem ſemper, ad præveniendum caſum mortis ſubitaneæ, permodum Viatici) Sacroſancta Euchariſtia, ſolis nonniſi Actibus mentalibus iisque a celebrante breviſſimis, longioribus a communicante inſiſtendum. Et quemadmodum in Acceſſu Altaris trium potiſſimum Virtutum Fidei, Timoris & Amoris, ſic in Receſſu ab eodem Trium itidem Virtutum Actus, Fidei ſcilicet firmiſſimæ, Gratiarum Actionis humillimæ, & intimæ cum ſuo Dilecto Unionis adeoque longioris cum eo moræ ſunt præprimis neceſſarii.

Quantum ad Fidem. Applicando Myſticè domui cordis tui illa S, Scripturæ verba: ergone credibi-

le eſt ut habitet Deus cum hominibus ſuper terram. Si cælum & cæli cælorum non Te capiunt, quanto magis domus iſta. 2. Paralip. cap. 6. Citra ullam dubitationem certus eſto, te corporis & Sangvinis Chriſti dono dignatum. Certiſſima imbutus fide, quod qui videtur panis, panis non eſt, tametſi guſtu ſenſibilis ſit, ſed Corpus Chriſti: confirma cor tuum. S. Cyrillus Hieroſol. Catech. 22. n. 6. & 9. *Eſto itaque fidelis, atque innocens, participans immaculatum Corpus, & Sangvinem Domini fide pleniſſima; certus, quod Agnum ipſum integre comedas: cave ne temere ſcruteris.* S. Ephræm Syrus tractatu de natura Dei.

Quantum ad Gratiarum Actionem. Quando ultimæ Cænæ communicavit Judas, nocte illa poſtrema, cæteris omnibus recumbentibus, ipſe ſe proripiens exceſſit. Illum imitantur iſti, qui ante ultimam Gratiarum Actionem diſcedunt. S. Chryſoſt. hom. de baptiſmo. Chriſti Addit ibidem S. Doctor: *Quod ſi Judas mox ab illa Cœna Euchariſtica non ſe proripuiſſet, proditor factus non fuiſſet.* Notent hæc ad cautelam tepidi ac in referendis pro tanto beneficio gratiis negligentes; audiantque Theophylactum in Marci cap. 15. monentem: *Accipiamus Corpus JESU per communionem, & collocemus in monumento exciſo ex petra; hoc eſt, in anima memori, quæ DEUM non oblivifcatur.*

Quantum ad intimam Unionem & longiorem moram cum Dilecto intra præcordia exiſtente. Cogita qualem adeptus ſis honorem, qua fruaris Menſa! *Quod Angeli tremunt videntes, nec ſine metu reſpicere audent, ob fulgorem inde manantem, eo nos alimur, huic commiſcemur, factique ſumus unum Chriſti corpus, & una caro,* S. Chryſoſt. Homil. 82 in Math. Quæ verba S. Patris nituntur verbis ipſiuſmet Salvatoris *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſangvinem, in me manet & ego in illo.* Hoc poſito nonne æquum eſt ut dicas cum Bernardo: manete foris cogitationes meæ & occu-

pationes externæ, quoadusque solus cum solo dilecto tuo prolixius converseris, Eidem maximas, quas poteris grates referas, indigentias & necessitates tuas exponas, ab eoque longe plura obtineas beneficia, hæc enim juxta sententiam piissimam Sacrosancta Eucharistia in subjecto debite disposito præbet tamdiu, quo adusque species Sacramentales manent in stomacho. Et certe si Dominus benedixit domui Obededom propter arcam figuram nostri Sacramenti, quamdiu hæc apud illum, mansit quid non faciet propter rem ipsam figuratam? Quod si olim in humanis agens Marthæ, Zachæo, Mathæo cæterisque in quorum ædes diverterat, benedixit quomodo non majores benedictiones ab Eodem nobiscum unito expectare debeamus?

Hanccè nostram a fortiori (ut loquuntur scholæ) assertionem evincit ratio Augustini de duobus in Emmaus discipulis disserentis: *Habebant illi Christum in convivio; nos intus in animo: plus est habere Christum in corde, quam in domo.* Ser. 132. n. 7.

GRATIARUM ACTIO.

Sacerdotis post Missam.

ANtiphona. Trium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Quæ Antiphona in Festis Duplicibus tantum duplicatur; & tempore Paschali additur in fine Alleluia.

Canticum trium puerorum.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cæli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite ſol & luna Domino: benedicite ſtellæ cæli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æſtus Domino: benedicite frigus & æſtus domino.

Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & nives Domino: benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet & ſuperexaltet Eum in ſæcula.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite univerſa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia quæ movontur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres cæli Domino.

Benadicite omnes beſtiæ & pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Iſrael Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite ſervi Domini Domino.

Benedicite ſpiritus & animæ juſtorum Domino: benedicite ſancti & humiles corde Domino.

Bendicite Anania, Azaria, Miſael Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu: laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cæli: & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.

PSALMUS 150.

Laudate Dominum in ſanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio & cithara.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo,

Laudate eum in cymbalis bene sonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri &c.

Deinde repetitur Antiphona.

Trium puerorum cantemus hymuum quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Deinde Sacerdos dicit.

KYrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.
Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.
R. Sed libera nos amalo.
V. Confiteantur Tibi Domine omnia opera Tua.
R. Et sancti Tui benedicant Tibi.
V. Exultabunt sancti in gloria
R. Letabuntur in cubilibus suis.
V. Non nobis, Domine, non nobis.
R. Sed nomini Tuo da gloriam.
V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad Te veniat.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEUS, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius: ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere: ut cuncta no-

ſtra oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per Te cæpta finiatur.

Da nobis, quæſumus Domine, vitiorum noſtrorum flammas extingvere: qui beato Laurentio tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Recogites hic velim de Hoſpite quem ſuſcepiſti & in corde adora, ſicut habes ſupra in Receſſu a communione & Altari, deinde dic ſequentem orationem, quam recitantibus remiſſionem omnium commiſſorum ſeu omiſſorum in Miſſa nec non 2300. dierum indulſit Clemens VIII.

Obſecro Domine dulciſſime Jesu ut paſſio Tua ſit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar. Vulnera Tua ſint mihi cibus potuſque quibus paſcar, inebrier, atque delecter, aſperſio ſangvinis Tui ſit mihi ablutio omnium delictorum meorum. Mors Tua ſit mihi gloria ſempiterna. In his ſit mihi refectio, exultatio, ſanitas, & dulcedo cordis mei, Qui vivis & regnas.

Aliam ſimiliter dic propter Indulgentiam 10000. annorum a Joanne XXII. conceſſam.

Anima Chriſti ſanctifica me, Corpus Chriſti ſalva me, Sangvis Chriſti inebria me. Aqua lateris Chriſti lava me. Paſſio Chriſti conforta me. o Bone Jesu exaudi me. Intra vulnera Tua abſconde me Et ne permittas me ſeparari a Te. Ab hoſte maligno, defende me. In hora mortis meæ voca me. Et jube me venire ad Te. Ut cum Sanctis Tuis laudem Te in ſæcula ſæculorum Amen.

Actus Fiduciæ.

CAro Tua ſumus Judex vivorum & mortuorum, ſangvis Tuus ſumus, membra Tua ſumus. Carnem Tuam ne deſpexeris, carnem Tuam odio ne habueris, carnem Tuam ne condemnaveris. Nulla eſt ſpes alia, nulla fiducia, nulla gloriatio noſtra niſi quod Tu piiſſime Jesu caro noſtra ſis, & quod nos caro Tua ſumus. Non gloriamur de meritis no-

ſtris, non reponimus in illis fiduciam, ſed de hoc ſolo gloriamur, in hoc ſolo confidimus, quod membra ſumus illius Corporis Tui, quod pro nobis paſſum, crucifixum, & mortuum abunde pro peccatis totius mundi ſatisfecit. Quam obrem ſi merita requiris. eccè proferimus Tibi merita Corporis Tui, quod cum de noſtro ſit & in nobis nunc eſt, cum magna fiducia clamamus ac ſuſpiramus ad Patrem: Aſpice in faciem Chriſti Tui qui eſt in nobis & una ſimul interpellat pro nobis ut miſerearis nobis, & gratiam finalem concedas nobis.

Petitio Benedictionis.

BEnedic mihi Domine Jesu cum Patre & Sancto Spiritu, largireque uberem gratiam amplectendi ſemper & in omnibus nunc & in hora mortis Tuam Sanctiſſimam voluntatem.

Oblatio Victimæ ſalutaris.

DOmine Jesu Chriſte in memoriam immenſæ Tuæ charitatis, qua propter me natus, paſſus, crucifixus & mortuus es. Offero Tibi hujus Miſſæ & omnium Miſſarum quæ in toto mundo fiunt hoſtiam Sacroſancti Corporis & Sangvinis Tui, obſecrans per viſcera miſericordiæ Tuæ ut ſuſcipias & Patri Tuo offeras in ea virtute, qua Illi in cruce moriens ſpiritum Tuum tradidiſti, ut vivis Tuam gratiam, defunctis requiem, & omnibus nobis miſericordiam vitamque largiaris ſempiternam ſingulariter autem oro pro N.

Alia Petitio.

DUo rogabo Domine Deus meus ne dones mihi. 1. Vanitatem & verba mendacii longe fac a me 2. Mendicitatem & divitias ne dederis mihi. Tribue tantum victui neceſſaria, ne forte ſatiatus illiciar ad negandum & dicam quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer & perjurem nomen Domini mei.

Conclude.

DOmine Jesu Deus meus cum non possim multum orare propter varia impedimenta legitima, offero Tibi desideria quæ habeo vitandi omnia peccata & ea in omnibus subditis meis impediendi, nec non gloram ac cultum Tuum diligentissimé promovendi. Da mihi obsecro ut Te nunquam offendam & ea quæ pro Tua gloria facere desiderò fideliter exequar, ac denique plenus dierum ac meritorum in gratia Tua feliciter moriar. Amen.

Oratio summe necessaria continens præcipuos Actus Virtutum.

CRedo Domine, sed credam firmius! spero Domine, sed sperem securius! Amo Domine, sed amem ardentius! doleo Domine, sed doleam vehementius!

Adoro Te ut primum principium! desidero ut Te finem ultimum; laudo ut Benefactorem perpetuum, invoco ut defensorem propitium.

Tua me sapientia dirige, justitia contine, clementia solare, potentia protege.

Offero Tibi Deus meus cogitanda, ut sint ad Te, dicenda ut sint de Te, facienda ut sint secundum Te, ferenda ut sint propter Te.

Volo quidquid vis, volo, quia vis; volo, quomodo vis; volo, quamdiu vis.

Oro Domine, intellectum illumines, voluntatem inflammes, corpus emundes, animam sanctifices.

Defleam præteritas iniquitates, repellam futuras tentationes, corrigam vitiosas propensiones, excolam idoneas virtutes.

Tribue mohi bone Deus amorem Tui, odium mei, zelum proximi, contemptum mundi.

Studeam Superioribus obedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, inimicis parcere.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate,

Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Fac Domine sim in oratione attentus, in epulo sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus.

Curem habere innocentiam interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem.

Assiduè invigilem naturæ domandæ gratiæ fovendæ, legi servandæ, saluti promerendæ.

Discam a Te, quam tenue sit quod terrenum est, quam grande, quod divinum, quam breve quod temporaneum, quam durabile, quod æternum,

Da mortem præveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam, Paradisum obtineam. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Alia ad impetrandam perfectionem.

Concede mihi misericors Deus, quæ Tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere & perfecte adimplere. Ad laudem & gloriam nominis Tui ordina statum meum, & quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam: & da exequi, sicut oportet, & expedit saluti animoe meæ. Da mihi Domine Deus meus, inter prospera & adversa non deficere, ut in illis non extollar, in istis non deprimar: de nullo gaudeam, vel doleam, nisi quod ducat ad Te, vel quod abducat a Te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi Tibi. Vilescant mihi Domine, omnia transitoria, & cara mihi sint omnia Tua, propter Te, & Tu Deus super omnia. Tædeat me gaudii, quod est sine Te, nec aliud cupiam, quod est extra Te. Delectet me Domine labor, qui est pro Te, & tædiosa sit mihi omnis quies, quæ est sine Te. Frequenter mihi da Domine cor meum ad Te dirigere, & defectus meos, cum emendationis proposito, dolendo pensare. Fac me Domine Deus

obedientem ſine contradictione, pauperem ſine defectione; caſtum ſine corruptione, patientem ſine murmuratione, humilem ſine fictione, hilarem ſine diſſolutione; triſtem ſine dejectione; maturum ſine gravitate; agilem ſine levitate; timentem ſine deſperatione; veracem ſine duplicitate; operantem bona ſine præſumptione, proximum corrigere ſine elatione; ipſum ædificare verbo & exemplo ſine ſimulatione. Da mihi Domine Deus cor pervigil, quod nulla abducat a Te curioſa cogitatio. Da nobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio. Da rectum, quod nulla ſiniſtrorſum obliquet prava intentio. Da invictum, quod nulla frangat tribulatio. Da liberum, quod nulla ſibi vendicet perverſa & violenta affectio. Largire mihi Domine Deus meus intellectum Te cognoſcentem, diligentiam Te quærentem; ſapientiam Te invenientem, converſationem Tibi placentem; perſeverantiam Te fideliter expectantem, & fiduciam Te finaliter amplectentem: Tuis pænis configi per pænitentiam: Tuis beneficiis uti in via per gratiam, & tandem Tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam, Amen.

Oratio ad B. V. MARIAM.

COmmendo me Tibi ſereniſſima vereque inclyta Virgo Maria, cæli ac terræ Regina, quæ in Tuo ſacratiſſimo utero eundem Dominum & omnium Creatorem, quem ego modo ſuſcepi, de Spiritu Sancto conceptum dignè portaſti, precorque Te Matrem Dei Sanctiſſimam: ut pro me apud eundem Flium Tuum intercedas, & quacunque ratione in ſummi Sacramenti, hujus ſumptione deliqui, hujus negligentiæ & indignitatis meæ veniam impetres. Tu ſemper caſta, pura, innocens, poſt conceptum Filium etiam caſtior, purior, & ſanctior, Deo que gratior evaſiſti. Utinam & ego hac Divini Sacramenti participatione ita ſanctificer, ut deinceps cor & corpus meum ah omni lethalis pec-

cati macula tuear impollutum, Tu conceptô Filiô de Spiritu Sancto, magnificas laudes Domino lætè decantasti, & in Deo Salutari Tuo mirabiliter exultasti. O si Tuis efficacibus precibus id assuquar, Virgo Mater, ut cum hac Sacra Communione novum & ardentem spiritum concipiam, ac semper in gratiarum actione piè verser, tantoque Redemptori & Hospiti me nunquam ingratum, sed fidum in omnibus ministrum exhibeam, Amen.

Septem Reflexiones Sacerdotis cum respectu ad Meditationes Diurnas.

DIE DOMINICO.

1. *Quotquot receperunt eum*, id est Christum, receperunt autem fide, spe, charitate & imitatione, prout explicant Sacri Interpretes (a) *dedit eis potestatem Filios DEI fieri* Joan. 1. *Non statim fecit eos DEI filios, ne per ignaviam perderent gratiam, sed dedit ipsis potestatem fieri, qua diligentiores redderentur*, inquit Gregorius Nazianz. (b)

2. Ego quidem toties, quoties Missam celebro, recipio in me Christum, sed qua fide, quali spe, qua charitate, qua imitatione vitæ Ejus! Fides mea plane mortua, quia sine bonis operibus, quæ enim sunt illa? spes mea præsumptuosa, charitas langvida, imitatio humilitatis, mansvetudinis, & patientiæ Christi prorsus nulla. Et quamvis horum aliquid haberem, non ideo essem jugiter Filius Dei haberem solum potestatem ut fiam talis semper, adhibita multa & magna diligentiâ ad retinenda adoptivæ filiationis puram atque intactam imaginem impressam animæ meæ per baptismum, dicente id Chrysostomo (c)

(a) *Simon Cassia &c.* (b) *Orat. 16.* (c) *Hom. 9. in Joan.*

3. Quæ autem mea, hac in re diligentia? *Ad exteriora negotia delapsus, & & curis secularibus intentus tanto insensibilior intus efficior, quanto ad ea, quœ foris sunt, studiosior videor. Nulla animœ meœ lucra* per industrias spirituales *quœro, terrena concupisco, humanam gloriam intenta mente capto, & susceptœ* cum Sacerdotio *benedictionis ministerium verto ad ambitionis argumentum* (d) cum tamen pro filiis Dei ad habendam & conservandam adoptivæ filiationis imaginem scriptum sit: *oportet vos nasci denuo* (e) & *nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in Regnum Cœlorum* (f)

4. Eodem modo loquitur hic S. Evangelista ac locutus est ipsemet Christus (g) *faciam vos fieri piscatores hominum:* unde si homo quamvis alias a Deo vocatus & missus ad prædicandum, nihilominus *multum debet laborare, ut sciat bene predicare* (h) pari ratione mihi quoque vocato ad statum Religiosum & Officium Sacerdotale, multum laboris superest ad hoc, ut cum gratia Dei possim salvari: *qui* enim *creavit me sine me, non salvabit me sine me; qui creavit me nescientem, non salvabit nisi volentem* (i) & qui vocavit ad Statum Religiosum, Officiumque Sacerdotale huic suæ vocationi non repugnantem non salvabit, nisi juxta obligationes Status & Officii adeo sublimis operantem.

5. *Ausus es* (sic affatur Chrysostomus (k) Sacerdotem ad inscitiæ pretextum confugere volentem) *ausus es provinciam humeris istis minime parem subire? quisnam te ad id coegit? quisnam te attraxit detrectantem fugientemque?* Nemo profecto, nisi Pater cælestis infinita misericordia sua traxit me (l) igitur *voluntarie sacrificabo Ei, & con-*

(d) *S. Greg. M. Hom.* 17. *in Evang.* (e) *Joan.* 3 (f) *Math.* 18. (g) *Math.* 4. (h) *Hugo Card. h. l.* (i) *S. Aug.* (k) *de Sac. l.* 4. *c.* 1. (l) *Joan.* 6.

ftebor nomini Domini, quoniam ex omni tribulatione ac infinitis periculis mundi *eripuit me, & super inimicos* animæ meæ *despexit oculus meus,* (m)

DIE LUNÆ.

1. *CAlix benedictionis, cui benedicimus, nonnè communicatio Sangvinis Christi est? & Panis, quem frangimus, nonne partipacitio Corporis Domini est?* inquit Apostolus 1. *Cor* 10. Participavit de hoc Corpore Joannes, participavit & Judas, communicavit huic Sangvini Martinus Turonensis communicavit & Udo Magdeburgensis: (n) & tamen proh! quam dispar exitus Judæ ac Udonis, ab exitu Joannis & Martini? Ita scilicet: *Summunt boni, sumunt mali, sorte tamen in æquali vitæ vel intrritus.* (o)

2. Et quæ tandem fors ex his duabus me espectat? ad quod ex his duobus pareliis ego mea communicatione Sangvinis Christi, & participatione Corporis Domini magis accedo? Nonme quidem per gratiam DEI invenio Judæ similem, sed neque Joanni parem affirmare unquam potero: non sum Udo impuritate, sed nec Martinus sanctitate. Quid ergo? Medium inter indignos & dignos, sanctos & teprobos haud datur. Et si ego medius inter utrosque, participo aliquid ab utrisque: sum igitur neque calidus nec, frigidus, sed tepidus, qualem præ frigido longè magis abominatur DEUS. *Utinam frigidus esset aut calidus sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Apocal: 3.

3. Terret me hæc Christi sententia, & utinam prorsus deterret a quibusvis noxis venialibus, &.

(m) *Psal* 53. (n) *Trithem: Naucler: Canisius &c. apud Massei.* (o) *S. Thom:*

voluntaria transgressione legum etiam non obligantium sub peccato. Terret reflexio, Augustini in Psalmum 108 scribentis: *Quid interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contemta impleat navim, atque demergat.* Et libro de decem chordis: *Nolite contemnere venialia, quia minima sunt sed timete, quia plura sunt.* Et serm. 29 super Cantica: *Tu ne leve dixeris, unde offenditur Christus, unde ad DEI judicium pertrahi habes.* Nec minorem, ultra alia prorsus innumera testimonia Patrum, leves noxas graviter impugnantium, horrorem incutit verissima doctorum æquè ac piorum, imo etiam Sanctorum Virorum sententia, quæ est ejusmodi: *Consvetudo transgrediendi præcipuas constitutiones proprii ordinis, quæ vel ad levem, aut ad nullam culpam obligant, ea ipsa omnibus circumstantiis inspectis peccatum mortale est, & trangressores, qui persistunt in tali proposito, sunt in malo statu.* (p) Amor DEI tu dispice: num quid mali fit in me. Amor DEI tu perfice si, quod boni fit in me. Amare Te peto DEUS: audi DEUS petentem: Ignis meus DEUS mentis accende me tepentem.

DIE MARTIS.

1. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo JESU, qui cum in forma DEI esset, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ad Philipp. c. 2. E tribus virtutibus humilitate, obedientia & patientia, quas ad exemplum Christi commendat hoc loci Apostolus, Christiano homini necessariis, nulla magis propria Sacerdoti, præsertim Religioso, quam virtus obedientiæ Grande, miraculum, quod ad imperium Josue sol toto die

(p) *Concina Disciplinæ Apostolico Monastricæ part: 2. Dissert: 1. c: 7.*

immotus steterit (a) majus longè quod ad vocem cujusvis Sacerdotis, quovis die Sol Justitiæ Christus DEUS noster descendat sub species destructæ prius ab eodem substantiæ panis & vini, atque obediente DEO voci hominis (b) non solum uno die maneat immobilis, sed tam diu sub dictis speciebus existat, quam diu species illæ conservantur; *sub diversis speciebus, signis tantum & non rebus, latent res eximiæ* (c)

2. Gregorius Neocæsareæ Ponti Episcopus oratione sua montem ex uno in alium locum transtulit, & Thaumaturgi nomen est adeptus (d) Nonne ego magis Thaumaturgus, qui Christum sedentem ad dexteram DEI Patris e cælo transfero in Altare. Plura audent Bernardus, Vincentius Ferrerius, & Bernardinus Senensis, quorum primus Sacerdotes non solum Angelis, Archangelis, Dominationibus prælatos a DEO asserit, verùm etiam *Parentes Christi* nominat (e) alii duo potestatem Sacerdotalem potestati gloriosissimæ Virginis anteponunt (f) eo quod *B. Virgo semel tantum aperuit cælum, Sacerdos sub qualibet Missa.* Imo Chrysostomus *omnifariam potestatem Sacerdotibus a DEI Filio traditam* (g) Dionysius Areopagita *ingentem & Divinam*, S. Ephræm *immensum & infinitam eorum dignitatem* deprædicant (h)

3 Sed si DEUS & Homo Christus obedit voci meæ, meæ inquam, qui homo peccator sum, homo multis repletus miseriis in illis natus, educatus, iisdemque semper subjectus; quomodo ego non debeam propter DEUM meum obedire voci Superioris, qualiscunq; & quibuscunq; demum infirmitatibus ac defectibus subjectus ille sit? Sed si mihi collata potestas omnifaria & major Mariæ potestate, væ mihi! si ne-

---

(a) *Josue* 12. (b) *Ibid:* (c) *S. Thom:* (d) *Brev: Rom:* (e) *Serm: ad Past:* (f) *l.* 3. *de Sac. c.* 4. (h) *Cit: à Rugg:*

gligo, ut Mariam & Filium ejus imiter patientia & humilitate. Sed si mea dignitas major Angelicâ, ingens, immensa, infinita, Divina? proh pudor sempiternus! si ex Angelo degenerem in belluam, id est in malum Sacerdotem, hunc enim bestiis ipsis pejorem affirmat sanctus ille Ecclesiasticus Eusebius scribens ad Damasum in hæc verba: *Nulla certè in mundo tam crudelis bestia, quam malus Sacerdos, nam corrigi non patitur.* In eandem sententiam coincidit Author operis imperfecti: *Laici* inquit (i) *facilè emendantur. Clerici si mali fuerint, inemendabiles sunt.* Quid igitur cum incorrigibili faciam? nisi supplex gratiam victricem pro rebelli petam: *Converte me, & convertar: quia Tu Dominus DEUS meus.* Jerem: 31,

DIE MERCURII

1 *Surge, comede, grandis enim tibi restat via.* 3 Reg: 19 Quæ verba quondam Angelus Eliæ obdormienti sub umbra Juniperi (Juniperus arbori fatali cupresso persimilis, etiam cupressus sylvestris dicitur) eadem aliquando, imó forsitan hoc anno, hoc mense, hac hebdomada mihi in umbram mortis declinanti, atque mortali sopore jamjam opprimendo bonus aliquis, si tamen eum habebo, medicus; pius, si tali dignus ero, Confessarius, aut saltim timorata mea, si talis est, conscientia, dicet: *de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris* (k) surge igitur, elevare paululum, attolle caput, comede panem vitæ, sume Viaticum, grandis enim tibi restat via, *quia ibis in domum æternitatis tuæ,* (l) nunquam indè rediturus.

2 Hæc dum audiam, si tamen audiam, eò quod me vel dormientem, vel comedentem, vel ambulantem, aut in via, aut in aquis, aliove loco & situ,

---

(i) *Hom:* 45. (k) 4. *Reg:* 1. (l) *Eccl:* 12.

nihil quidquam funefti metuentem, & tamen prorfus incapacem fumendi Viaticum, poffit mors fubitanea & improvifa (utinam verò faltim in ftatu gratiæ) prout multos alios, præoccupare: hæc dum audiam, fi tamen audiam, timebonè ad hoc trifte nuntium, ut cum Hilarione plurimi: an veró (faxit DEUS) cum B. Petro de Alcantara, atque venerabili Patre Joanne a Conceptione verô cordis jubilô dicam: *Lætatus fum in his, quæ dicta funt mihi in domum Domini ibimus.* (l)

3 Pendent equidem hæc omnia a fuprema & infcrutabili voluntate DEI, in cujus manibus fortes meæ (m) fed non parum, imo fatis multum ad mortem fanctè obeundam contribuet præfens mea in dicenda Miffa confvetudo, præfens erga Sacramentum Altaris pietas & affectio. Si dum vivo, digne atque devotè Miffam facio, fi hanc femper ut ultimam perago, fi quotidiè ità, ac fi mox ab Altari moriturus, imô forte nequidem ab Ara cum Viro illo fanctiffimo Andrea Avellino rediturus, ad hoc tremendum Sacrificium me difpono, poft illud fummas, quas poffum, gratias refero, quin etiam fvadente id Ambrofio (n) *cum lectum afcendo, ejus Domone, qui efurientem me fui corporis epulis explevit, ntn oblivifcor, ut quod vefpori cogitaverim. citò cum evigilavero recenfeam*, meque rurfus crefcente in dies fervore proeparare incipiam, fpes in DEO, quod fi non reipfa, certè tamen æquivalente defiderio, factus particeps Menfæ Domini, *introibo in confpectu ejus in exultatione, atria ejus in hymnis, confitebor illi* (o) *& mifericordias Domini in æternum cantabo* (p)

4 Vellem profectó (quis enim non) *ut moreretur anima mea morte juftorum, & ut fierent noviffima mea horum*, quos proximè tetigi, *fimilia* (q) verùm enim veró non poffum mori morte juftorum, quin

---

(l) *Pfal:* 121. (m) *Pfal:* 30. (n) *Ser.* 48. *in Pfal* 218. (o) *Pfal:* 30. (p) *Pfal:* 99. (q) *Pfal:* 88.

vixerim vitâ juſtorum; *qualis vita, mors eſt ita.* Et vita unde? præterquam ab eo, qui dicit: *ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi* (r) Manducem ergo Domine ſic iſtum cæleſtem panem in hac mea mortali vita, ut cum omnibus, quotquot illum dignè manducarunt, vivam poſt hac æternâ vitâ; Tu enim ſolus ore Tuo benedicto dixiſti: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Joan: 6.

Defuncte Myſta dic nobis; cur, qui litâſti mille Sacra, nec te tamen probis aggregat Agnus ille? Ab inferis ſi ſurgeres, a morte ſi redires, quid ageres, qui viveres ne denuò perires?

DIE JOVIS

1 *Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.* 2. Cor: 11 Quale judicium? niſi de quo paulò ſuprà loquitur Apoſtolus: *reus: erit Corporis & Sanguinis Domini,* ita ſcilicet judicandus ac ſi Chriſtum occidiſſet, prout explicat S. Thomas de Villanova (s) imó juxta S. Auguſtinum (t) *Gravius peccant indignè offerentes Chriſtum regnantem in cœlis. quàm qui Eum crucifixerunt ambulantem in terris.* En quale infelix ego ſubiturus ſum judicium! Et merito; ſi enim *de omni verbo otioſo quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii,* pronunciante id ipſomet Chriſto Math: 12. quid dicendum de tot meis otioſis, id eſt infructuoſis Sacrificiis. a me tepidè, diſtractè. irreverenter, præcipitanter, ne dicam prorſus illicitè, abſque debita diſpoſitione, intentione, & attentione celebratis.

2 Magnus ille Magiſter in ſpiritu P. Joannes de Avila, audita morte cujuſdam recens Sacerdotio initiati, quæſivit a nuntio quot Miſſas celebrâſſet! reſpondente, quad unam tantum, ſubjunxit mox Avila ſuſpirando: Ah unam Miſſam, unam tantùm, *mul-*

(r) *Num:* 23 (s) *Joan:* 6. (t) *Conc:* 3. *de Coop Chriſti.* (t) *Cit: a Rugg: med;* 7. *runcto* 3.

tum ille detulit ad Judicem: (u) Noverat ſcilicet vir doctiſſimus juxtaque piiſſimus id quod longè ante eum ſcripſit S. Jſidorus Peluſiota (w) *Sacerdos graviores vitæ ſuæ rationes ſubibit*, nam ut inquit alibi (x) idem ipſe: *Tantum inter Sacerdotem & quemlibet probum intereſſe debet. quantum inter cælum & terram diſcriminis eſt.* Undè jure optimo quidem (y) exponens illum Pſalmi 118 verſiculum: prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ. Sacerdotes peccantes *peccatores cæli* pares Angelis reprobis appellitat ad differentiam ſcilicet a ſæcularibus peccantibus, quibus tanquam peccatoribus terræ a *Terreno* ſeu *Adamo* deſcendentibus facilius venia conceditur: *Adam peccavit in terra & veniam conſecutus eſt. Lucifer in cælo & diabolus factus eſt, ſic differunt peccata Laicorum & Clericorum.* Quin etiam ipſemet Chriſtus hæc inter alia S. Birgittæ (z) dixiſſe legitur: *Sacerdotes mali ſunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer.* Neque aliam cauſam gravioris Sacerdotum judicii adfert D. Bernardus (a) *Cæleſte inquit tenet officium Sacerdos. Angelus Domini exercituum eſt: inventa in Angelo pravitas diſtrictius judicetur neceſſe eſt & inexorabilius quam humana, tanquam Angelus aut eligitur aut reprobatur.*

3 Hæc ubi cum Avilæ reſponſione confero, totque centena, imo millena & millena Sacrificia Miſſæ a me indignè tot annis celebrata ad calculum voco-nonne totus pallere, pavere, ac tremere debeo. Super hoc expavit cor meum, & motum eſt de loco ſuo; audiet auditionem in terrore vocis ejus, & ſonum de ore illius procedentem (b) Pulſus ille pro dicenda Miſſa dari ſolitus, nonnè mihi eſt ad inſtar Tubæ Angelicæ ad judicium evocantis? Menſa illa, in qua tot Angelis ſtipatus celebro, nonne mihi Tribunal Judicis cum Majeſtate venientis? Hoſtia ipſa

(u) *Tornielli Serm: Quadrag*: 7. (w) *lib*: 2. *ep:* 15 (x) *lib:* 2. *ep.* 207. (y) *Hugv: à S. Carolo.* (z) *Revel: lib:* 1. *c*, 47.

quam in altum elevo, nonnè ipſum Judicem ſententiam in me proferentem repræſentant? illud inquam Tribunal, in quo damnandus; illum Judicem, a quo damnandus; illam ſententiam, qua damnandus. O Tribunal inevitabile! O Judicem inexorabilem! o ſententiam irrevocabilem! Quodſi hæc tria non me movent, neque infernus me movebit. Altare, culpæ vinculô, quiſquis adis, ligatus, ictus lethali jaculô fors mox eris citatus: adverte judicaberis in Judicis lucernis: ſi ſis reus torqueberis in Tartari cavernis. *Iuſte Iudex ultionis. &c.*

DIE VENERIS.

1 *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis* 1. Cor: c. 11. Quamvis hoec verba ſatis clarè explicent nobis Sacerdotibus mentem Apoſtoli, imó etiam ipſiuſmet Chriſti, qui *ſciens, quia venit hora Ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem* (c) proximè antè ſuam mortem inſtituit hoc Sanctiſſimum Sacramentum, *miraculorum ab Ipſo factorum maximum,* (d) nihilominus præter memoriam Paſſionis Chriſti expreſſam modó dictis verbis Apoſtoli quin etiam ipſiuſmet Chriſti hoc in ſui memoriam facere jubentis, alium inſuper inſtitutionis ejuſmodi finem aſſignat D. Baſilius Magnus (e) *Ratio,* inquit, *propter quam Corpus Domini manducari, & Sangvis bibi debeat, commemoratio eſt obedientiæ Domini uſque ad mortem, ut qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed Ei, qui cauſa noſtra mortuus eſt.*

2 Duo proindè unicuique Sacroſanctam Eucharistiam ſumenti, multó magis mihi eandem & quotidie conficienti, & quotidie ſub utraque ſpecie accipienti facienda injungunrur, ut ſcilicet Paſſionis Chriſti, ab Eodem ex obedientia Æterno ſuo Patri

---

(c) *Joan:* 13. (b) *S. Th:* (d) *in Reg: Moral Reg:* 21. c. 2.

præstanda & ob meam æternam salutem toleratæ perpetuam habeam memoriam, & ut deinceps Ei soli, qui mei amore passus & mortuus est, non autem mihi vivam.

3 Sed proh dolor! egoné amarœ Passionis Christi sum memor, qui, pro ejus amore nihil adversi pati volo? Ego hujus extremæ obedientiæ Christi recordor, qui mandata DEI, Religionis meæ statuta, Majorum jussa, & frequentes inspirationes Divinas, a quibus mea salus pendet, flocci habeo? Egonê soli Christo vivo, qui peccata mortem animæ adferentia, vel saltim ad ea disponentia non evito? Egonè soli Christo, qui *DEI causam relinquo, ad terrena negotia uaco: locum sanctitatis accipio, & terrenis actibus implicor?* (f) contra doctrinam Apostoli: *Nemo militans DEO implicat se negotiis sæcularibus* (g) Egonè soli Christo vivo, ad quem venit libido, & dicit: meus es tu; venit superbia, & dicit: meus es tu, venit ira, gula, acedia, & dicunt meus es tu? (h) Possumnè in veritate dicere (prout dicere deberem) cum Paulo: *ut DEO vivam, Christo confixus sum cruci: vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (i) Quodsi autem in me non vivit Christus, neque ego vivo in Christo, vivens igitur (nescio tamen quomodo vivens sine Eo, qui est *via* (k) *veritas & vita*) mortuus sum & prope diem sepeliendus cum damnatis in inferno, ubi *vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur.* (l)

Damnate dic, vos quamdiu torquebit ignis ille? torquebit eheu tamdiu dum vivet UNUS ille! æternus est, æternus est, æternus ignis ille; infernus est, infernus est, infernus ignis ille,

(f) *S. Greg: l.* 17. *in Evang,* (g) 2. *Tim: c.* 2. (h) *S. Ambr:* (i) *Gal:* 2. (k) *Joan:* 14. (l) *Marc:* 9.

SABBATHO

1 Volens Salvator noſter inſtituere cænam Euchariſticam miſit, qui dicerent Patrifamilias: *apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis* Math: 26 Notanda ſunt ultima verba Salvatoris, prout ea notavit Chryſoſtomus (m) *ſi quis eſt Diſcipulus, ad ſit, ait enim cum Diſcipulis meis facio Paſcha.* Omnes Diſcipuli Chriſti, ſi unum excipias Judam, fuerunt ſancti, dicente ipſomet Apoſtolo: (n) *Elegit nos in ipſo* (id eſt in Chriſto) *ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate:* talis ego deberem ſemper eſſe, qui cum Chriſto quotidie facio Paſcha; aut certè ſi talis non ſum, Judas ſum. Quis igitur hujus Paſchatis ſeu communionis meæ fructus? idem planè, qui ingrati Judæ, in quem *poſt buccellam Panis* Euchariſtici *introivit Sathanas* (o) neque veró introivit tantum, ſed eum poſſedit, captivavit, atque ex miraculorum patratore, Magiſtri proditorem; ex novi Legislatoris Apoſtolo, ab utraque lege Apoſtatam; ex uno è primis novæ Legis Sacerdotibus ingrato Sacerdote, gratiſſimam toti orco effecit hoſtiam.

2 Expendunt hoc funeſtum commenſalis Chriſti exemplum Sancti Patres, & ubi mirantur Latronem cum non nullis aliis conſecutum miſericordiam, hanc in caſu, de quo ſermo, negatam attribuunt ingratitudini Judæ Sacerdotis. *In proditore* inquit S. Ambroſius (p) *Dominus hoc graviſſimum invenit, quo ejus condemnaret perfidiam. quod gratiæ vicem non repræſentaverit, & convivio amicitiæ venenum malitiæ miſcuerit.* Certè, ſi nos homines. perpetua experientia teſte, *naturaliter* (verba ſunt S. Baſilii M. citat a Gloſſa in 1, Petri 4) *magis indignamur his, qui nobis familiariſſimi ſunt, cum in nos peccaverunt:*

(m) *Hom:* 60. (n) *Epheſ:* 1. (o) *Joan:* 13. (p) *apud Lohner V. Ingratitudo*

quid dicendum de indignatione DEI contra ingratos in veteri, multó magis in nova lege Sacerdotes? Horrenda ſunt, quæ in Sacra Scriptura, Sanctis Patribus, & probatæ fidei Authoribus paſſim lego de pœnis ingratorum DEO Sacerdotum, neque tamen alieno periculô cautus vivo! Horrendum, quod quaſi in aurem mihi inculcat Chryſoſtomus (q) *privatim pecces, nihil tale paſſurus es, ſi peccas in Sacerdotio, periiſti?* Eheu me infelicem & in æternum maledictum, ſi DEO meo ingratum Sacerdotem! *In domo Patris mei* inquit Chriſtus *manſiones multæ ſunt* (r) *Magna eſt domus DEI, & ingens locus poſſeſſionis ejus* juxta Prophetam (s) Sed enim neque ingratorum Angelorum *locus inventus eſt amplius in cœlo* (t) neque ingratus Judas illuc admiſſus: neque ego forſitan admittar, omnium ut potè ingratiſſimus, *In terra Sanctorum* (hoc eſt juxta Bernardum *in Eccleſia & domo DEI, quam decet ſanctitudo*) *iniqua geſſi*, niſi me ſerio emendaverim, *non videbo GLORIAM Domini* (u)

Quam mira, multa, grandia ſcribuntur & leguntur æternitatis gaudia, quibus boni fruuntur. Tu qui dediſti ne fleam in igne devorante, fac ut BEATUS gaudeam in igne cor liquante. (w) Fac mi DEUS me creſcere æſtu Tui caloris, novaſque ſemper diſcere induſtrias amoris.

PUNCTUM II.

De Operibus Charitatis.

Character Religionis noſtræ eſt Charitas. eaque non ad ſolam tantum Captivorum Redemptionem, ſed cum ea ad quævis alia Chriſtianæ pietatis officia

(q) *Hom: 41. in Math.* (r) *Joan: 14.* (s) *Baruch. 3* (t) *Apocal: 12.* (u) *Iſai: 26.* (w) *Qui non dlligit DEUM, non habebit cœlum. Ex Revel: S. Birg: l. 4. c. 4.*

ſeſe extendens. Tam pium Opus (ita de Captivorum Redemptione loquitur Urbanus VIII in Bulla incipiente *Salutaribus Apoſtoli monitis*) Tam pium opus, quod cæteris miſericordiæ operibus antecellit, & in quo ferè alia omnia, quaſi per compendium exercentur. Et antè hunc Paulus V. in Bulla die 8. Februar: 1608 expedita Ex omnibus, inquit, Chriſtianæ Charitatis officiis, quibus æterna ſalus per gratiam DEI comparatur, illa Redemptori noſtro JESU Chriſto maximè placere credimus, per quæ infelices Captivi a terra impiorum, & miſera ſervitute revocantur, ac eorum ſaluti proſpicitur.

Coronauit hanc inſignem Religionis noſtræ charitatem Innocentius Papa III. dum ſupremum, quia ipſiuſmet D. T. M. nomen ei indidit, jubens vocari Ordinem Sanctiſſimæ Trinitatis. Coronavit eandem (ut mittamus innumera alia Privilegia) Sanctiſſimus Francorum Rex Ludovicus IX. dum Characteriſticæ Cruci noſtræ Coronam pro ſtemmate ſuperaddidit, ad eum planè modum, quo Jacobus Aragoniæ Rex Ordini B. Mariæ de Mercede arma ſua Regia in pectore deferre conceſſit. Coronavit tandem ipſe DEUS. T. O. M. tot Sanctis, tot Martyribus Viriſque Illuſtribus: nec dubium quin etiam nos coronet in miſericordia & miſerationibus, ſi veſtigiis Patrum noſtrorum inſiſtentes, toto pectore in hanc Regiam Virtutem, ſupereminentem omnia charitatem, incubuerimus.

Et quia huic Virtuti, prout Redemptionem Captivorum complectitur, aliis Noſtræ Religionis Libris Legalibus, ipſoque Ceremoniali Ordinis ſat abundè proviſum eſt, hinc ad alia charitatis Opera nobis cum cæteris Religionibus communia gradum facimus. Poſtquam igitur Sacerdos noſter pietati ac obligationi ſuœ ſatisfecerit, proximorum quoque ſaluti allaboret, neceſſe eſt. Quem in finem tria potiſſimum facienda occurrunt Sacerdoti: 1. Confeſſi-

nes Christi Fidelium alacri animo excipere. 2. Verbum DEI Apostolico zelo prædicare. 3 Infirmis & præsertim agonizantibus magna curâ ac diligentiâ assistere.

Intentio ante administrationem Sacramenti Pænitentiæ.

Domine JESU Christe hoc Sacramentum Pænitentiæ administrare volo ea qua par est pura intentione, uniendo amori Tuo superexcellenti, quo illud sanctificasti, cum præ vehementissimo salutis nostræ desiderio illud instituisti. & ab Apostolis illorumque Successoribus administrari voluisti, ad laudem DEi Patris & salutem totius generis humani, rogans ut in unione amoris Tui, tam mihi quàm omnibus & singulis quibus illud administrabo, cedat in augmentum salutis & præmium beatitudinis æternæ. Spiritûs S. gratia ita me illuminet, ut ritè judicem, opportuna remedia suggeram, & salutarem pænitentiam pro qualitate peccatorum injungam, quatenus juxta Tuum S. beneplacitum hoc injunctum mihi ministerium digne perficere, proximorum animas lucrari, atque ab omni tentationum incursu præmuniri & præservari merear. In Nomino Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.

Alia pro confessuris Oratio ex operibus P. Saint-jure.

Domine DEUS omnipotens, qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat, propitius esto mihi peccatori: & suscipe orationem meam, quam pro famulis, & famulabus Tuis, peccata sua confiteri cupientibus, ante conspectum clementiæ Tuæ humiliter offero: ut eos pariter, & a peccatis exuas, & in futuro ab omni crimine illæsos custodias, Per Dominum nostrum, &c. Amen.

Oratio poſt exceptas Confeſſiones.

Domine JESU Chriſte Fili DEI vivi ſuſcipe hoc obſequii mei Miniſterium amore illo ſuperexcellenti, quo Mariam Magdalenam omneſque ad Te confugientes peccatores abſolviſti. Et quidquid in Sacramenti hujus adminiſtratione negligenter minuſque dignè egi, Tu per Tuam piiſſimam miſericordiam ſupplere digneris. Omnes & ſingulos, qui mihi modo confeſſi ſunt, commendo dulciſſimo Cordi Tuo, ut eoſdem cuſtodias & a relapſu præſerves, atque poſt hujus vitæ miſerias Tecum ad gaudia ſempiterna perducas. Qui vivis & regnas &c.

Intentio ante Concionem dicenda.

Dignus es Domine accipere gloriam & honorem, utinam ego omnes pænitentes ad Te Creatorem meum convertere poſſim. Qui a vero ego indignus Prædicator nihil pollutis labiis & corde prœſtare potero ſine Te, da ergo mihi gratiam exactè munus hoc meum obeundi, ad quod me vocâſti, ut ex mea doctrina Auditores ſalutarem percipiant fructum, & nè ego ipſe cum aliis prædicavero reprobus efficiar. Miſerere mei DEUS.

Dignare me laudare Te Virgo ſacrata.

Oratio finita Concione.

Non nobis Domine, non nobis, ſed Nomini Tuo da gloriam. DEUS virtutum, cujus eſt totum, quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem Tui Nominis & præſta in nobis Religionis augmentum, ut quæ ſunt bona nutrias, ac pietatis ſtudio quæ ſunt nutrita cuſtodias. Quis ſum ego ut digna de DEO Creatore meo loqui poſſem, plura mihi deſunt na-

turæ & ſtudii præſidia, & ob peccata mea nonniſi abjectionem & confuſionem in facie univerſi mereor. Dignatus es Domine reſpicere oculis miſericordiæ Tuæ miſerum ſervum, & propter Religioſam communitatem & ſtatum quem profiteor protexiſti me ab errore & infamia publica. Quare

Magnificat anima mea Dominum &c.

In exitu a Conventu Pſal: 66.

DEUS miſereatur noſtri & benedicat nobis : illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Ut cognoſcamus in terra viam Tuam : in omnibus gentibus ſalutare Tuum.

Confiteantur Tibi populi DEUS; confiteantur Tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes : quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur Tibi populi DEUS, confiteantur Tibi populi omnes : terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos DEUS DEUS noſter, benedicat nos DEUS : & metuant Eum omnes fines terræ.

Gloria Patri & Filio &c.

Alia Deprecatio.

VIas Tuas demonſtra mihi Domine, & ſemitas Tuas edoce me. Greſſus meos dirige ſecundum eloquium Tuum, ut non dominetur mei omnis injuſtitia. Perfice greſſus meos in ſemitis Tuis ut non moveantur veſtigia mea Amen.

In reditu ad Conventum.

Dicitur Psalm. De profundis. &c *& si placuerit sequens adjungi potest.*

ORATIO

DUlcissime JESU per illas pretiosissimas lachrymas. quas videndo civitatem effudisti, & per omnes miserationes, quibus mirabiliter nobis perditis subvenire dignatus es, da mihi Spiritum S. Tuum qui dura peccatorum corda emollit, ut sic compungar, quod piis lachrymis peccata mea & omnium hic habitantium scelera & defectus defleam.

Modus visitandi Infirmos ex Rituali Romano.

Sacerdos ingressus Cubiculum dicat.

V. Pax huic domui *R.* Et omnibus habitantibus in ea. *Mox Cubiculum, Infirmum, & lectum ejus aspergat aquà benedictâ dicens Antiph:* Asperges me: *deindè suum Infirmo exhibeat officium, & antequam abscedat ab eo potest dicere Psalm:* Miserere mei DEUS &c. Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster-

V. Et nè nos inducas in tentationem
R. Sed libera nos a malo,
V. Salvum fac servum Tuum
R. DEUS meus sperantem in Te.
V. Mitte ei Domine auxilium de Sancto
R. Et de Sion tuere eum.
V. Nihil proficiat inimicus in eo
R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
V. Esto ei Domine turris fortitudinis
R. A facie inimici
V. Dominus opem ferat illi.
R. Super lectum doloris ejus

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS

DEUS. cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram: ut nos & hunc famulum Tuum, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio Tuæ pietatis clementer abſolvat.

DEUS infirmitatis humanœ ſingulare præſidium, auxilii Tui ſuper infirmum famulum Tuum oſtende virtutem; ut ope miſericordiæ Tuæ adjutus, Eccleſiæ Tuæ S. incolumis repræſentari mereatur.

Concede hunc famulum Tuum, quæſumus Domine DEUS, perpetuâ mentis, & corporis ſanitate gaudere. & glorioſa Beatæ MARIÆ ſemper Virginis interceſſione, a prœſenti liberari triſtitia & æterna perfrui lætitia. Per Chriſtum. &c.

Benedictio DEI omnipotentis Patris ✝ & Filii. & Spiritus S. deſcendat ſuper te, & maneat ſemper Amen.

Pro pio deſiderio Ægrotantium

Poſſunt ſequentia recitari.

Pſalm: Domine ne in furore Tuo &c:
Dominus vobiſcum: Et cum ſpiritu tuo,
Sequentia S. Evangelii ✝ ſecundum Math:,

Signat ſeipſum Sacerdos conſveto modo, ſimiliter & infirmum, Si autem infirma fuerit fœmina ipſa ſeipſam aut alia ſignabit in fronte, ore, & pectore.

In illo tempore cum introiviſſet JESUS Capharnaum, acceſſit ad Eum Centurio rogans Eum, & dicens: Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi JESUS: Ego veniam, & curabo eum. Et reſpondens Centurio ait: Domine non ſum

dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus habens ſub me Milites, & dico huic: vade, & vadit, & alii veni & venit, & ſervo meo fac hoc & facit. Audiens autem JESUS miratus eſt; & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Jſrael. Dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Jſaac, & Jacob in Regno Cælorum, filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Et dixit, JESUS Centurioni: Vade & ſicut credidiſti fiat tibi, & ſanatus eſt puer in illa hora.

OREMUS

Omnipotens ſempiterne DEUS ſalus æterna credentium, exaudi nos pro infirmo N. pro quo miſericordiæ Tuæ imploramus auxilium, ut reddita ſibi ſanitate gratiarum Tibi in Eccleſia Tua referat actiones. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum &c.

Modus juvandi Morientes.

1 Hortabitur infirmum, ut firmiter credat omnes Articulos Fidei, & quidquid S. Romana Eccleſia Catholica credit & docet.

2 Ut ſperet Chriſtum Dominum noſtrum pro ſua immenſa clementia ſibi fore propitium. & merito Ejus Sanctiſſimæ Paſſionis, & per interceſſionem B. MARIÆ & OO. SS. ſe vitam æternam conſecuturum.

3 Ut toto corde diligat, & maximè diligere cupiat Dominum DEUM ea dilectione qua Jllum diligunt Beati.

4 Ut ob amorem DEI doleat ex corde de omni offenſâ, quomodocunque contra DEUM & proximum commiſſa.

5 Ut ex corde ob amorem DEI ignoſcat omnibus, qui ſibi quoquo modo fuerant moleſti vel inimici,

6 Ut ab eis veniam poſtulet, quos aliquando dictis aut factis offendit.

7 Ut quem patitur dolorem, & morbi moleſtiam propter DEUM in ſatisfactionem peccatorum ſuorum patienter toleret.

8 Ut, ſi Dominus ſalutem corporis ſibi præſtare dignabitur, proponat de cætero pro viribus ſuis, a peccatis cavere, mandata ſervare, & meliorem vitam inſtituere.

9 Ut Sacramenta Pænitentiæ, Viatici & extremæ unctionis digne recipiat.

10 Svadeat, ut eo modo, quo poteſt, ſaltim mente per intervalla temporis precetur.

Tres privilegiatæ ad B. V. MARIAM pro felici morte Orationes.

Ex Revel: S. Mechtildæ l. 1 c. 10

1 O Domina mea, ſancta MARIA, ſicut DEUS Pater per omnipotentiam ſuam Te potentiſſimam effecit, ita mihi quæſo adſis in hora mortis meæ, expellendo a me omnem contrariam poteſtatem. Ave MARIA, &c,

2 O Domina mea, ſancta MARIA, ſicut Filius DEI tanta Te cognitione, & charitate donavit, ut totum cælum illumines; ità in hora mortis meæ animam meam, cognitione fidei ſic illuſtres, & corrobores, ut nullo errore aut ignorantiâ pervertatur, Ave MARIA &c.

3 O Domina mea, ſancta MARIA, ſicut Spiritus S. ſuum amorem Tibi plenè infudit, ita in hora mortis meæ, dulcedinem amoris Divini mihi inſtilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur ſvaviſſima Ave MARIA. &c.

Desiderium piæ mortis.

Cupio dissolvi & esse cum Christo. ad Rom: 7.

1. Volo mori, quia mortalis sum, id est homo descendens ab Adamo, ut satisfaciam Decreto mortis lato in omnes, quotquot in Adam peccaverunt.

2 Volo mori in protestationem supremi in me dominii Divini, meæque ab Eo in omnibus dependentiæ, & plenissimæ resignationis in Ejus Sanctissimam voluntatem.

3 Volo mori, ut mea morte mortem JESU Christi Domini mei, qua me Ille ab æterna morte redemit, honorem, imiter. Eique mortuo & ipse mortuus assimiler.

4 Volo mori, ut sequar exemplum pretiosissimæ DEI Matris MARIÆ Dominæ meæ: quæ carens alioquin moriendi debito, mori tamen voluit & ipsa, ut sua morte mortem Filii honoraret.

5 Volo mori, ut citius finem ultimum, in quem creatus sum, id est Visionem, Amorem, & fruitionem DEI Creatoris, Redemptoris, & Sanctificatoris mei assequar in æternum.

6 Volo mori, ex desiderio quàm primùm accedendi ad Sanctos, eosque videndi; tum pretiosissimam DEI Matrem: Verbi quoque Incarnati sacratissimam Humanitatem, & imprimis ineffabilem Personarum Unius DEI Trinitatem.

7 Volo mori, quia dignus sum ut Dominus vitæ & necis per suam justitiam auferat a me hanc vitam, quâ ab Eo ad gloriam suam animæque salutem procurandam mihi hactenus misericordissimè concessâ, abusus sum, vivendo peccaminosè, otiosè absque ullo lucro & fructu.

9 Volo mori, ut voluntario obeundæ mortis sacrificio saltim in parte Divinæ justitiæ satisfaciam, luendasque in purgatorio pænas diminuam,

9 Volo mori,ut peccatis meis finem imponam,& ne amplius impia ac ſcelerata vita mea alios homines ſcandaliżem; utque omnium Indulgentiarum, quæcunque in mortis articulo concedi ſolent & lucrari poſſunt, ex Theſauro Matris Eccleſiæ particeps fiam.

10 Volo mori, ut ſaltim hac miſera peccatricis carnis meæ ſarcina in Eccleſia aliovè quopiam ſacro loco ad diem judicii deponenda videar velle ſupplere omnes omiſſiones, negligentias & irreverentias meas in Acceſſu ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; ſimulque proteſter me velle mori in una ſancta Catholica & Apoſtolica Fide Romana, non obſtantibns quibuſcunque tentationibus aut aliis, quas avertat clementiſſimus DEUS, reſolutionibus in contrarium.

Hoc, Deſiderium piè in Domino moriendi, ſæpè ſupius ex gr. quablibet ſeptimana Die Mercurii, aut ſaltim quolibet Menſe elicere, conſultiſſimum foret homini Religioſo, iuxta ea, quæ dicta manent in Propoſitis Meditatiinis de Morte.

Aſpirationes Moribundi

ex S. Scriptura, Soliloquiis S. Auguſtini, & quibuſdum aliis Sanctis.

Ad oſtium Tuum ſumme Paterfamilias mendicus pulſo; jube aperiri pulſanti, qui dixiſti: Pulſate & aperietur vobis; ante Te eſt omne deſiderium meum, & gemitus meus a Te non eſt abſconditus. *S. Aug:*

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt Nomini ſancto Ejus *Pſ:* 102 Benedîcam Dominum in omni tempore, ſemper laus Ejus in ore meo, *Pſ:* 33.

Credo & ſpero videre bona Domini in terra viventium *Pſ:* 26. Clamor meus veniat ad Te DEUS.

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine. *Ps:* 24, Domine, da mihi modo hic patientiam postea indulgentiam. *S. Fulg:* Diligam Te Domine fortitudo mea *Ps:* 17. Diligam Te vita animæ, meæ *S. Aug:* Desidero Te millies mi JESU ! quando venies? me lætum quando facies? me de Te quando saties? S. *Bern:*

Eripe me de inimicis meis DEUS meus *Ps:* 58. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini Tuo Domine *Ps:* 141.

Fiat misericórdia Tua Domine super me, quemadmodum speravi in Te. *Ps:* 32. in Te Domine speravi non confundar in æternum *Ps:* 10.

Gratiam & gloriam da mihi Domine beatus homo, qui sperat in Te, *Ps:* 83.

Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est *Ps:* 119.

Jnveniam Te desiderium cordis mei: teneam Te amor animoe meæ *S. Aug:* Jlla ego ovis amissa ad Te Pastorem redeo: peto Domine ut ad ovile me reducas. *S. Laur Iust.*

Libera me Domine, & pone me juxta Te *Job:* 17 ab insurgentibus in me libera me *Ps:* 56.

Miserere mei DEUS miserere mei quoniam in Te confidít anima mea *Ps:* 56. Miserere mei, & salvum fac filium Ancillæ Tuæ Mariæ *Ps:* 85

Non intres in judicium cum servo Tuo Domine: quia non justificabitur in conspectu Tuo omnis vivens. *Ps:* 142. Ne projicias me a facie Tua. *Ps:* 50.

Ostende mihi Domine misericordiam Tuam *Ps:* 84. Ostende Te mihi, consolator meus: videam Te, lumen oculorum meorum: videam Te, lætitia cordis mei. O! quando veniam & apparebo Domine antè faciem Tuam. *S. Aug:*

Pater peccavi in cælum & coram Te: jam non sum dignus vocari filius Tuus, *Luc:* 15, Portio tantum aliqua creaturæ Tuæ postulat micas svavissimæ mensæ Tuæ. *S. Laur: Just:*

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : ità desiderat anima mea ad Te DEUS, *Ps*; 41. Qui Plasmâsti me, miserere mei. *Thais*: *Pæn:*

Recogitabo Tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ *Isai*: 38. Recordare JESU pie, quod sum causa Tuæ viæ, ne me perdas ista die.

Sitivit anima mea ad Te DEUM fontem vivum. Sitio Domine, sitio Te DEUM vivum sitio Domine, fons vitæ es, satia me. Scio Domine, scio, & confiteor me indignum, ut intrem sub tectum Tuum; sed fac propter honorem Tuum, & ne confundas in Te sperantem servum Tuum. *S. Aug:*

Tædet animam meam vitæ meæ, *Job:* 10. Tuus sum ego, salvum me fac Domine *Ps:* 118. Tribulatio proxima est, & non est qui eripiat, nisi Tu bone JESU. *S. Laur: Just:*

Ut quid Domine recessisti longè, despicis in opportunitatibus, in tribulatione. *Ps:* 10. Usquequo Domine obliviseris me in finem, usquequo avertis faciem Tuam a me. *Ps:* 12.

Veni Domine & noli tardare. Veni gaudium spiritus mei. Veni Domine JESU & visita me in pace. Vita mea suscipe animam meam. *S. Aug:*

Quodsi moribundus aliqua desperationis aut perterriti animi signa ostendat, & necdum sit sensibus destitutus. animetur ad spem habendam verbis Prosæ Ecclesiasticæ: Qui Mariam absolvisti; & latronem exaudisti, mihi quoque spem dedisti. *Poterit quoque animari exemplo* S. Bernardi, *qui gravissima infirmitate pressus & in excessu mentis ante tribunal DEI constitutus diabolum se accusantem hac pulcherrima responsione confudit:* Fateor, non sum dignus nec possum propriis meritis regnum cælorum obtinere. Cæterum duplici illud jure obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet Patris, & merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vendicans non confundor.

Suſpiria Agonizantis.

DEUS propitius eſto mihi maximo peccatori.

Miſerere mei, DEUS ſecundum magnam miſericordiam Tuam.

In manus Tuas Domine commendo ſpiritum meum.

Suſcipe me bone JESU vita & ſalus animœ meæ.

O JESU per virtutem Sanctiſſimæ Paſſionis Tuæ recipe me in numerum electorum Tuorum.

Mater DEI memento mei. Monſtra Te eſſe Matrem. MARIA Mater gratiæ &c.

S. Michael Archangele S. Angele Cuſtos defendite me in hoc prælio, ut non peream in tremendo DEI judicio.

Domine JESU Chriſte ſuſcipe ſpiritum meum.

O JESU eſto mihi JESUS & ſalva me.

JESUS, MARIA, JOSEPH vobis dono animam meam.

Modus impertiendi Benedictionem.
In Articulo Mortis.

Benedictus XIV. Papa Anno 1747. Die 5, Aprilis, Conſtitutione, Pia Mater: ampliavit Epiſcopis facultatem impertiendi Fidelibus Benedictionem cum Indulgentia plenaria concedenda per quoſcunque Sacerdotes ſivè Sæculares, ſive Regulares, & modum impertiendi præſcripſit. Undè qui habet dictam facultatem ab Epiſcopo ſibi communicatam, ſequenti modo procedet:

V. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.

R. Qui fecit cælum & Terram.

Antiph. Ne reminiſcaris Domine delicta Famuli Tui N. (vel Ancillæ Tuæ) neque vindictam ſumas de peccatis ejus:

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson, Pater noster &c.

℣. Et ne nos inducas intentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum Tuum, vel Ancillam Tuam.

℟. DEUS meus sperantem in Te.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad Te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

CLementissime DEUS, Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis, qui neminem vis perire in Te credentem, atque sperantem, secundum multitudinem miserationum, Tuarum respice propitius Famulum Tuum N. quem Tibi vera Fides. spes Christiana commendant. visita eum in salutari Tuo, & per Unigeniti Tui Passionem, & Mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui Te Judicem propitiatum inveniat,, & in Sangvine ejusdem Fili Tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

Tum dicto ab infirmo vel ab aliquo ex adstantibus, Confiteor *&c. Sacerdos dicat* Misereatur &c. *deinde*

Dominus noster. JESUS Christus Filius DEI vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem Tuam, & restituat Tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti; Et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam & remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In Nomine Patris &c.

Per sacrosancta humanæ reparationis mysteria. re-

mittat tibi omnipotens DEUS omnes præſentis & futuræ vitæ pænas, Paradiſi portas aperiat, & ad gaudia ſempiterna perducat. Amen.

Benedicat Te Omnipotens Deus,
Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus ſit adeo morti proximus, ut neque Confeſſionis generalis faciendæ, neque præmiſſarum precum recitandarum tempus ſuppetat, ſtatim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.

Modus dandæ Abſolutionis in Articulo Mortis Religioſis Noſtris & Confratribus dabitur infra Puncto 3.

Commendatio animæ.

R. Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini: ſuſcipientes animam ejus, offerentes eam in conſpectu Altiſſimi.

V. Suſcipiat te Chriſtus qui vocavit te & in ſinum Abrahæ Angeli deducant te: ſuſcipientes animam ejus, offerentes eam in conſpectu Altiſſimi.
V. Requiem æternam Offerentes eam &c.

Kyrie eleyſon &c. Pater noſter.
V. Et ne nos inducas in tentationem
R. Sed libera nos a malo.
V. A porta inferi.
R. Erue Domine animam ejus.
V. Requieſcant in pace *R.* Amen.
V. Domine exaudi orationem meam
R. Et clamor meus ad Te veniat.
V. Dominus vobiſcum *R.* Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Tibi Domine commendamus animam Famuli Tui N. ut defunctus ſæculo Tibi vivat, & quæ per fragilitatem humanæ converſationis peccata commiſit, Tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge, Per Chriſtum Dominum Noſtrum Amen.

Ordo faciendi aquam Benedictam.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit Cælum & Terram.

absolute incipit exorcismum salis.

Exorciso te creatura salis, per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ, ut efficiaris sal exorcisatum in salutem credentium, & sis omnibus sumentibus te, sanitas animæ & corporis, & effugiat atque discedat a loco in quo aspersum fueris omnis phantasia, & nequitia vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus per Eum qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem. Amen.

Oremus.

Immensam clementiam Tuam omnipotens æterne Deus humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, benedicere † & sanctificare † Tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & quidquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia omnique impugnatione spiritualis nequitiæ. Per Dominum Nostrum &c. Amen.

Exorcismus aquæ sine Oremus.

Exorciso te creatura aquæ in Nomine Dei † Patris omnipotentis, in Nomine Jesu † Christi Filii Ejus Domini nostri & in virtute Spiritus † Sancti, ut fias aqua exorcisata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare valeas cum angelis suis apostaticis per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

Deus, qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem Tuæ bene † dictionis infunde ut creatura Tua mysteriis Tuis Serviens ad abigendos dæmones morbosque pellendos Divinæ gratiæ sumat effectum, ut quidquid in domibus vel in locis Fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa, non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens; discedant omnes insidiæ latentis inimici, & si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat, ut salubriter per invocationem S. Tui Nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum &c.

Hic termittat sal in aquam in modum crucis.

Commixtio salis & aquæ pariter fiat. In Nomine Patris † & Filii † & Spiritus † Sancti *R.* Amen.

Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEUS invictæ virtutis Author, & insuperabilis imperii Rex ac semper magnificus Triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas. Te Domine trementes ac supplices deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam salis & aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis Tuæ rore sanctifices, ut ubicunque fuerit aspersa, per invocationem Nominis S. Tui omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, & præsentia S. Spiritus nobis misericordiam Tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium Tuum, qui Tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus S. &c.

Aspergat seipsum & alios dicens: Asperges me Domine &c.

Benedictio Habitus seu Scapularii, Ordinis Nostri.

V. Adjutorium nostrum in Nomine Domini
R. Qui fecit Cælum & Terram.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Jesu Christe qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam Tuæ largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti quod Sancti Patres ad innocentiæ & humilitatis indicium abrenuntiantes sæculo ferre sanxerunt, Tu ita benedicere ✝ digneris ut hic Famulus Tuus N. qui hoc indutus fuerit vestimento, Te quoque induere mereatur. Qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum Amen.

Aspergitur aqua benedicta.

Modus imponendi Scapularium Confratribus.

V. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.
R. Qui fecit Cælum & Terram.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & hunc Famulum Tuum, cui in Tuo Nomine habitum Religionis imponimus, ita benedicere digneris, ut Te largiente devotus persistat, & vitam consequi mereatur æternam. Per Dominum nostrum.

Imponendo Habitum Sacrum dicat.

Accipe Habitum Sanctissimæ Trinitatis in augmen-

tum Fidei, Spei, & Charitatis. In Nomine Patris & Filii &c.

V. Dominus vobiſcum

R. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti Famulo tuo in confeſſione veræ Fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia Majeſtatis adorare unitatem; quæſumus, ut ejuſdem Fidei firmitate ab omnibus ſemper muniatur adverſis.

Deus, qui per Sanctos Patres Noſtros Joannem & Felicem Ordinem Sanctiſſimæ Trinitatis ad redimendum de poteſtate Saracenorum Captivos cælitus inſtituere dignatus es, præſta quæſumus ut eorum ſuffragantibus meritis a captivitate corporis & animæ Te adjuvante liberemur.

Suſcipiat Te Sanctiſſima Trinitas in numerum Confratrum Sororumque Archi-Confraternitatis noſtræ, & licet te indigne ſuſcipimus, in Orationibus tamen noſtris precamur, ut tibi Sanctiſſima Trinitas concedat tempus bene vivendi, conſtanter perſeverandi. Et ſicut nos hodie fraterna charitas ſpiritualiter jungit in terris, ita Divina pietas, quæ dilectionis eſt auctrix & amatrix nos cum Fidelibus ſuis conjungere dignetur in Cælis. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Aſpergat aqua benedicta.

Benedictio Panis S. P. N. Joannis contra Febres.

V. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.

R. Qui fecit Cælum & Terram.

V. Dominus vobiſcum

R. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus benedicere † digneris hunc panem Tua S. ſpi-

rituali benedictione: ut sit omnibus sumentibus, salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium Tuum Panem vinum, qui de Cælo descendit & dat vitam & salutem mundo, & tecum vivit & regnat &c.

DEUS, qui per S. P. N. Joannem de Matta, Ordinem sanctissimæ Trinitatis ad redimendum de potestate Saracenorum Captivos cælitus instituere dignatus es, præsta quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis a captivitate & langvoribus corporis & animæ Te adjuvante liberemur. Per Dominum nostrum &c.

Aspergat aqua benedicta.

Modus benedicendi locum & domum.

Ingrediendo locum aut domum, dicit Sacerdos: Pax huic domui & omnibus habitantibus in ea. *Deinde loca aspergendo dicit Antiph.* Asperges me *totam cum Psal. Gloria Patri* &c.

V. Ostende nobis Domine misericordiam Tuam.
R. Et Salutare Tuum da nobis.
V. Domine exaudi, orationem meam
R. Et clamor meus ad Te veniat.
V. Dominus vobiscum
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi nos Domine S. Pater omnipotens æterne DEUS, & mittere digneris S. Angelum Tuum de cælis, qui custodiat, foveat protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo, Per Christum Dominum Nostrum Amen.

Benedictio loci.

V. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.
R. Qui fecit Cælum & Terram.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

BEnedic ✝ Domine Deus omnipotens locum istum ut sit in eo sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas & mansvetudo, plenitudo Legis & gratiarum actio Deo Patri, & Filio & Spiritui Sancto, & hæc benedictio maneat semper super hunc locum & habitantes in eo. Amen.

Aspergat aqua benedicta.


Benedictio cujuscunq; Comestibilis aut potabilis.

℣. Adjutorium nostrum &c.
℣. Domine exaudi orationem &c.
℣. Dominus vobiscum. &c.

Oremus

BEnedic ✝ Domine creaturam istam N. ut sit remedium salutare generi humano, & præsta per invocationem Tui Sanctissimi Nominis, ut quicunq; ex ea sumpserint, & gustaverint, corporis sanitatem & animæ tutelam accipiant. Per Dominum nostrum &c. Amen.

Aspergat aqua benedicta



PUNCTUM III.

De Absolutione Generali.

PRimo loco ponitur hic Absolutio Generalis a pluribus Summis Pontificibus concessa & approbata septem in Anno diebus, nimirum in Festo SSS. Trinitatis, Feria quarta Cinerum, Feria quinta in Cæna Domini, in Festo S. Catharinæ Virg. & Mart. die S. Agnetis Secundo id est 28. Januarii, & diebus Sanctorum Patriarcharum N. Ordinis Joannis de Matha 8. Febr. & Felicis de Va-

lois 20. Novmebr. impertienda etiam extra Ecclesias N. Ordinis non solum Infirmis & Monialibus (praehabita quo ad Moniales licentia Ordinariorum:) verum etiam Imperatori, Regibus, Principibus, & Magnatibus, eisque inservientibus adscriptis Confraternitati SSS. Trinitatis, prout ita fieri in perpetuum concessit Clemens Papa XIII. Rescripto suo Apostolico emanato ex Secretaria S. Congreg. Indulgentiarum die 6. Maji. 1766.

Sacerdos ad minus stola indutus initiat.

Antiph. Intret Oratio mea. *Et mox dicitur Psalm.* De profundis clamavi, *eoque cum Gloria Patri finito, repetitur Antiph.* Intret oratio mea in conspectu Tuo Domine, inclina aurem Tuam ad praeces nostras: parce Domine, Parce populo Tuo, quem redemisti sangvine Tuo pretioso, ne in aeternum irascaris nobis. Sacerdos:

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Sacerdos Pater noster. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos amalo.
℣. Salvos fac servos Tuos Domine,
℟. Deus meus sperantes in Te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.

Hic surgit Sacerdos.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ADesto Domine supplicationibus nostris & me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, exaudi clementer: ut quem non electione meriti, sed dono gratiæ Tuæ constituisti Tui operis ministrum, da fiduciam Tui operis exeqnendi, & in meo ministerio, quod Tuæ pietatis est, operari. Per Christum Dominum nostrum *R.* Amen.

Oremus.

EXaudi Domine preces nostras, & confitentinm Tibi parce peccatis; ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia Tuæ pietatis absolvat. Per Christum &c. Amen.

Oremus

PRæveniat hos famulos Tuos, quæsumus Domine, misericordia Tua; ut omnes iniquitates eorum celeri indulgentia deleantur. Per Christum Domin. &c. *R.* Amen.

Oremus

PRæsta, quæsumus, Domine, his famulis Tuis, dignum pænitentiæ fructnm; ut Ecclesiæ Tuæ Sanctæ, a cujus integritate deviarunt peccando, commissorum reddantur innoxii, veniam consequendo. Per Christum. &c. Amen.

Oremus

ADesto Domine supplicationibus nostris nec sit ab his famulis Tuis clementiæ Tuæ longinqua miseratio sana; eorumque remitte peccata, ut nullis iniquitatibus a Te separati, Tibi Domino semper valeant adhærere. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Oremus

DOmine Deus noster, qui offensione nostra irasceris, sed satisfactione placaris; respice quæ-

ſumus ſuper hos famulos Tuos, qui ſe Tibi graviter peccaſſe confitentur: Tuum eſt abſolutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti, pænitentiam Te malle peccatorum, quam mortem. Concede ergo Domine his, ut Tibi pænitentiæ excubias celebrent, & correctis actibus ſuis, conferri ſibi a Te ſempiterna gaudia gratulentur. Per Chriſtum. ℟. Amen.

Oremus

DEUS humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiarum reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum, Unici Filii Tui ſangvine redemiſti: vivifica hos famulos Tuos, quos Tibi nullatenus mori deſideras; & qui non derelinquis devios, aſſume correptos, per eundem Chriſtum ℟. Amen.

Oremus

MOveant pietatem Tuam, quæſumus Domine, hæc famulorum Tuorum lacrymoſa ſuſpiria: Tu eorum medere vulneribus, Tu jacentibus manum porrige ſalutarem; ne Eccleſia Tua aliqua ſui corporis portione vaſtetur, ne grex Tuus detrimentum ſuſtineat, ne de familiæ Tuæ damno inimicus exultet, ne renatos lavacro ſalutari mors ſecunda poſſideat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus

TIbi ergo Domine ſupplices preces cum fletu cordis effundimus, tu parce confitentibus, ut ſic in hac mortalitate peccata ſua, Te adjuvante, defleant, quatenus in tremendi judicii die ſententiam æternæ damnationis evadant, & neſciant quod terret in tenebris, quod ſtridet in flammis: atque ab erroribus ad iter reverſi juſtitiæ, nequaquam vulneribus ſaucientur, ſed integrum ſit eis atque per-

petuum, quod gratia contulit, & quod misericordia reformavit. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Post hæc Sacerdos stans in latere Epistolæ versus populum seu eos, quibus impertitur Absolutionem, prosequitur sine Oremus, cum pausatione majori.

Dominum nostrum Jesum Christum humiliter deprecamur ut gratiæ suæ lumine illabatur cordibus vestris, vobisque benignè concedat omnes & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones consequi, quas felicis recordationis Paulus Quintus, & ejus Successores Summi Pontifices Ordini Nostro, cum specifica facultate eas Confraternitatibus nostris communicandi concesserunt, juxta privilegiorum Apostolicorum tenorem, ac Sanctæ Sedis Apostolicæ decretorum dispositionem.

Misereatur vestri Omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet, & confirmet in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam: Qui in Trinitate perfecta vivit & regnat in sæcula sæculorum. ℞. Amen.

Ad extremum dicit Sacerdos:

ITem communicamus vobis, Fratres, orationes, jejunia, Missas, peregrinationes, & labores pro redimendis etiam Captivis susceptos, cæteraque opera bona, quæ per Dei gratiam in nostro Ordine fiunt. In Nomine Patris, † & Filii, & Spiritus sancti. ℞. Amen.

Dum dicit: In (Nomine Patris,) unam tantum formet crucem, trina siquidem benedictio competit Episcopo non autem Sacerdoti; quæ de re plura in Ritu impertiendi Pontificiam benedictionem præscripto a Benedicto XIV. 19. Martii, 1748. Constitut. Exemplis Prædecessorum nostrorum.

In supradicta nostrœ Absolutionis Generalis formula, tria sunt consideranda & distingvenda. 1. Deprecatio, *quœ incipit ab Antiph.* Intret oratio mea. 2. Indulgentiæ Plenariæ concessio. jam completa, *quœ incipit ab iis verbis:* Dominum nostrum &c. *seque habet ad eum plane modum, quo Summi Pontificis benedictio ex altiori Porticu Basilicœ S. Petri impertita, est ultimum Jubilœi Romœ complementum.* 3. Est communicatio Confratribus omnium bonorum operum ac meritorum totius Ordinis nostri, *quœ incipit ab illis verbis:* Item communicamus. *Et hœc se habet permodum eleemosynœ spiritualis, atque quo ad hunc effectum seu participationem bonorum operum nequidem durante anno Jubilœi (cessantibus licet omnibus Indulgentiis:) suspenditur, prout respondit* S. Congregatio Eminentiss. S. R. E. Cardinalium. Concil. Trident. Interpretum in Rescripto nostræ Archi-Confraternitati Venetiis ad S. MARIAM Formosam erectæ dato sub die 12. Decembr. Anno 1699.

ABSOLUTIO GENERALIS
IN ARTICULO MORTIS
danda Fratribus & Confratribus.

Infirmus, vel si iste non potuerit, alter ejus nomine confessionem dicat, qua finita Sacerdos stola Violacea indutus dicit: Misereatur tui &c. *Et postea absolute incipit:*

AUthoritate Domini nostri JESU Christi, & Beatorum Apostolorum Ejus Petri & Pauli, & Summorum Pontificum mihi in hac parte commissa, & concessa, virtute Bullarum nostri & aliorum Ordinum, concedo tibi, si hac vice decesseris, remissionem & Indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum, in quantum claves Ecclesiæ se

extendunt, & abſolvo te ab omnibus pænis in purgatorio debitis propter peccata, quæ in hoc mundo commiſiſti, reſtituendo te illi innocentiæ, in qua eras quando baptizatus fuiſti: quod ſi hac vice non deceſſeris, reſervo tibi authoritate prædicta iſtam Indulgentiam pro vero mortis articulo. In Nomine Patris, † & Filii & Spiritus Sancti *R.* Amen.

V. Dominus vobiſcum.

R. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & iſtam creaturam ad Tuam ſanctiſſimam imaginem factam Tua providentia ineffabili conſervatam & in Tuo ſancto Nomine ad noſtram Confraternitatem, & ſpiritualem bonorum participationem receptam bene†dicere dignare, & præſta, ut unigeniti Filii Tui pretioſo ſangvine redempta, & ipſius meritis ac ſanctificationibus adjuta vitam percipere mereatur æternam. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulo Tuo (vel famulæ Tuæ) N. in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia Majeſtatis adorare Unitatem; quæſumus, ut ejuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniatur adverſis.

Deus qui per ſanctos Patres noſtros, Joannem & Felicem, Ordinem Sanctiſſimæ Trinitatis ad redimendum de poteſtate Saracenorum captivos cælitus inſtituere dignatus es: præſta, quæſumus; ut eorum ſuffragantibus meritis, hic famulus Tuus (vel hæc famula Tua) N. a captivitate corporis & animæ, Te adjuvante, liberetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Quæ deinceps circa Moribundos præſertim noſtros, quin etiam extraneos, ut bene ac feliciter moriantur, fieri debeant, proviſum eſt perquam

optime MANUALI N. Ordinis part. 4. Cap. 4. de modo adjuvandi infirmos §. 1. in Advertentiis: uti etiam Cap. 5. per totum.

EXERCITIUM MERIDIANUM

PUNCTUM I.

De agendis ante & post Prandium.

Ante prandium vel in communi vel in particulari de Lege inter nostros debet peragi Examen Conscientiæ, *quo considerentur non solum mala commissa, verum etiam bona omissa, & & quali fructu tempus mediæ diei sit expensum: quid, si illud tempus concessum fuisset damnatis, vel animabus Purgatorii?*

Benedictio Mensæ ad Prandium.

BENEDICITE *R.* BENEDICITE.

OCuli omnium in Te sperant Domine, & Tu das escam illorum in tempore oportuno, aperis Tu manum Tuam & imples omne animal benedictione. Gloria Patri. &c.

V. Kyrie eleyson
V. Pater noster.
V. Et ne nos inducas in tentationem
R. Sed libera nos a malo.

Oremus.

BEnedic Domine nos, & hæc Tua dona, quæ de Tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

V. Jube Domine benedicere.
R. Mensæ cælestis participes nos faciat Rex æternæ gloriæ. Amen.

Grâtiarum actio post Prandium.

V. TU autem Domine miserere nobis *R.* Deo Gratias.

Confiteantur Tibi Domine omnia opera Tua: Et Sancti Tui benedicant Tibi.

V. Gloria Patri. *R.* Sicut erat in principio.

Agimus Tibi gratias omnipotens Deus pro universis beneficiis Tuis, qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen,

Psal. Laudate Dominum omnes gentes,
Laudate &c. Gloria Patri &c.
Kyrie eleyson &c. Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.
R. Sed libera nos a malo.
V. Dispersit dedit pauperibus.
R. Justitia Ejus manet in sæculum sæculi,
V. Benedicam Dominum in omni tempore.
R. Semper laus Ejus in ore meo.
V. In Domino laudabitur anima mea.
R. Audiant mansveti & lætentur.
V. Magnificate Dominum mecum.
R. Et exaltemus Eum in idipsum.
V. Sit nomen Domini benedictum.
R. Ex hoc nunc & usque in sæculum.

Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter Nomen Tuum vitam æternam Amen.

V. Benedicamus Domino. *R.* Deo gratias.
V. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace *R.* Amen.

Pater noster. *secreto* quo finito.

Deus det nobis suam pacem. *R.* Amen.

Psal. De profundis &c. Requiem &c.
V. Aporta inferi *R.* Erue Domine &c.
V. Requiescant in pace *R.* Amen.
V. Domine exaudi &c. *R.* Et clamor &c.
V. Dominus vobiscum *R.* Et cum spiritu tuo.

Ore-

Oremus dicitur Oratio: Deus veniæ Largitor &c.
V. Requiescant in pace *R.* Amen.

Benedictio Mensæ ad cænam & diebus jejunii ad prandium

Benedicite. *R.* Benedicite.

Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt Eum, vivent corda eorum in sæculum sæculi. Gloria Patri. &c.

Kyrie eleyson &c. Pater noster &c.
V. Et ne nos inducas &c. *R.* Sed libera &c.

Oremus Benedic Domine nos &c. *V.* Jube Domne Benedicere *R.* Ad cænam vitæ æternæ perducat nos Rex æternæ gloriæ.

Gratiarum actio post cænam.

V. Tu autem Domine &c. *R.* Deo gratias.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Gloria Patri &c.

Benedictus Deus in donis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis, Qui vivit & regnat in sæcula sæculorum *R.* Amen.

Psal. Laudate Dominum &c. *& reliqua ut in prandio, excepto Psal.* De profundis

Benedictio ad serotinam Collatiunculam.

Benedicite *R.* Benedicite.
Lector: Jube Domne benedicere.
R. Largitor omnium bonorum benedicat Collationem servorum suorum.

Gratiarum actio.

Post Collationem serotinam dicitur. Tu autem Domine &c. *R.* Deo gratias.
V. Sit Nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum. *Et ſecreto:* Pater noſter.

Benedictio Collatiunculæ.

Feria 4. Maj. Hebdomadæ. Pariformiter etiam Feria 5. atque 6. nihil dicitur, ſed facie verſa ad menſam crux formatur in aere.

Gratiarum actio poſt ſerotinam Collatiunculam.

Feria 4 5. 6. Maj. Hebdomadæ Tantum ſecreto recitatur: Pater noſter.

Benedictio Prandii.

Feria 5. 6. Majoris Hebdomadæ. Dicitur: Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem. Feria autem 6. additur: mortem autem crucis.

Et dicto, ſecreto Pater noſter &c. *formatur crux ſuper menſam.*

Gratiarum actio poſt Prandium.

Feria 5. 6. Maj. Hebdomadæ Dicitur: Chriſtus factus eſt &c.

Pſal. Miſerere mei &c. *ſine Gloria Patri.* Pater noſter *ſecreto.*

Oratio.

Reſpice quæſumus Domine ſuper hanc Familiam Tuam, pro qua Dominus noſter Jesus Chriſtus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum.

Pater noſter *ſecreto*,

Sabbatho S. ad Prandium.

Benedicite ℟. Benedicite.

Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi venit Maria Magdalene, & altera Maria

videre fepulchrum. Alleluja Gloria, Patri &c. ut in prandiis.

Pro Gratiarum actione poft Prandium Sabbatho S. dicitur: vefpere autem Sabbathi &c. cum aliis omnibus ut alias in Gratiarum actione.

Sabbatho S. vefpere Benedictio & Gratiarum actio fit ut in diebus jejunii.

A Dominica Refurrectionis usque ad Sabbathum in Albis.

Pro Benedictione & gratiarum actione manè & vefperè dicitur: Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Glora Patri &c.

In Afcenfione Domini usque ad vigiliam Pentecoftes.

Pro Benedictione: Afcendit Deus in jubilatione Alleluja, & Dominus in voce tubæ Alleluja.

Pro Gratiarum Actione: Afcendens Chriftus in altum Alleluja, captivam duxit captivitatem. Alleluja.

A vigilia Pentecoftes, usque ad fequens Sabbathum.

Pro Benedictione: Spiritus Domini replevit orbem terrarum Alleluja, & hoc quod continet omnia fcientia habet vocis Alleluja.

Pro Gratiarum actione. Repleti funt omnes fpiritu S. Alleluja. Et cæperunt loqui. Alleluja.

A Die Nativitatis Chrifti, usque ad Cænam in vigilia Epiphaniæ.

Pro Benedictione. Verbum Carofactum eft. Alleluja, Et habitavit in nobis, Alleluja.

Pro Gratiarum actione: Notum fecit Dominus Alleluja, & falutare fuum Alleluja.

A Cæna Vigiliæ Epiphaniæ & per Octavam.

Pro Benedictione: Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent Alleluja. Reges Arabum & Sabba dona Domino Deo adducent Alleluja.

Pro Gratiarum actione: Omnes de Sabba venient Alleluja. aurum & thus offerentes Alleluja.

Novemdialia poſt Prandium.

QUamvis D. Auguſt. L. 1. Queſt. ſuper Exod. quæſt. 172. hæc ſcribat: Neſcio utrum inveniatur alicujus Sanctorum in ſcripturis celebratum eſſe luctum novem dies, quod apud Latinos Novemdial appellant. &c. prout fuſius in Hierolexico Macri verbo Miſſa Defunctorum, hæc tamen Novemdialia non quidem quo ad Miſſam, de qua ſermo in Hierolexico, ſed quo ad infra ponenda Suffragia apud nos ex antiquiſſima Religionis conſvetudine obſervantur ad præſcriptum Manualis Noſtri, quod part. 4. c. 7. §. 3. diſponit, ut tradito ſepulturæ corpore Religioſi Noſtri, Communitas finitis poſt Prandium gratus procedat ad ſepulchrum Defuncti recitando Pſal. Miſerere mei Deus, quo poſtquam pervenerit, omniſſis, ſi quæ forte ex Pſalmo reſtant, claudat illum verſu Requiem æternam &c. moxque dicat ſequens *Reſponſorium*.

Ne recorderis peccata mea Domine, Dum veneris judicare ſæculum per ignem.

Dirige Domine Deus meus in conſpectu Tuo viam meam: Dum veneris &c. Requiem æternam &c Dum veneris &c.

Kyrie eleyſon &c. Pater noſter &c. *Ter aſpergit aqua benedicta Sepulchrum.*

℣. A Porta inferi ℟. Erue Domine &c.
℣. Requieſcant in pace ℟. Amen.
℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor meus &c.
℣. Dominus vobiſcum ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Abſolve quæſumus Domine animam Famuli Tui Fratris Noſtri N. Sacerdotis ab omni vinculo delictorum', ut in reſurrectionis gloria inter Sanctos & Electos Tuos reſuſcitatus reſpiret. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

V. Requiem æternam dona ei Domine

R. Et lux perpetua luceat ei.

V. Requieſcant in pace.

R. Amen.

De Hora Recreationis Pomerid.

EXceptis Feriis Majoris Hebdomadæ, præſcribunt Leges noſtræ unam horam Recreationis in communi, cum nonnullis tamen reſtrictionibus quo ad juniores, quanquam his (extra dies exceptos, & intra limites modeſtiæ religioſæ) aliam etiam relaxationem animi indulgeant SS. Thomas, Bonaventura aliique apud Lauren. de Peyrinis Cum autem ea hora jubeatur legi aut tractari res aliqua ſpiritualis vel ſaltim indifferens, uſus prudentum Superiorum piarumque Communitatum habet tractare ſemper materiam aliquam ad profectum ſpiritualem, notitiaſque Religioſo homine dignas, eidem per utiles, quin etiam apprime neceſſarias, ordinatam.

Materiæ ejuſmodi derivari ſolent ex variis libris, & imprimis e Sacra Scriptura illiuſque Interpretibus de Authoribus Sacrorum Librorum, a quo ſcilicet, quo tempore, & qua lingva ſcripti; potiſſimum autem de ſelectis ac difficilioribus S. Scripturæ locis, uti de operibus ſex dierum, de Paradiſo Adami, & an is

fuerit primus omnium hominum, adeoque de Præ-Adamitis: de Arca Noe & diluvio: de Sacerdotio Melchisedechi, ac illius aliorumque Veterum Sacrificio: de Benedictionibus ac vaticiniis Jacobi: de Moyse, Arca Testamenti, Manna, actisque in deserto & terra promissionis; de voto Jephte, morte Samsonis, resuscitatione Samuelis, variis eventibus ac fine statuque Saulis & Salomonis; de Actis ab Elia, Elisæo, Prophetis, Apostolis, ipsoque Salvatore Nostro, juxta id, quod proximè e S. Scriptura lectum erat in Refectorio, aut in Officio illius diei in primo tertiove Nocturno. Ad hoc autem juvant plurimum Homiliæ SS. Patrum super Evangelia, Commentaria Tirini, Cornelii a Lapide, August. Calmet, & potissimum dilucidationes selectarum S. Scripturæ Quæstionum Authore Mart. Wouters.

Libri tractantes de antiquitatibus Christianorum, Historia Ecclesiastica, Annales Baronii cum suis Continuatoribus, Vitæ Sanctorum, & priscorum Eremi Patrum, uti etiam primorum Patrum atque Virorum illustrium Religionis, & multo Magis Processus in causis Beatificationis Servorum Dei, Bullæ ipse Beatificationis & Canonizationis eorumdem, mirifice tam intellectum illuminant, quam etiam inflammant voluntatem, præbentque calcar ad vitam cum majori in dies fervore instituendam, præsertim si quis se reflectat ad illa verba Augustini: Tu non poteris, quod isti & istæ?

Neque vero sola S. Scriptura cum suis Interpretibus, Librique tantum supradicti, verum etiam tota, qua late patet Theologia, præsertim in Nostris partibus Dogmatica & Polemica seu controversa; Opera quoque Liturgica Card. Bona, Gavanti, Merati, Cavalieri; Hierolexica, seu Sacra Lexica, imo etiam quævis alia Dictionaria, inter quæ principem fere locum tenet illud Universale Chambers: Adhæc multa multorum, veluti Natalis Alexandri, Antonii Pagi, N. Michaelis a S. Joseph, Continuato-

rum Bollandi &c. Opera Critica, & quævis alia pie seu indifferenter curiosa, historica, problemmatica; ipsaque Philosophiæ Experimentalis Theoremata; Sapientum dicta, placita, Apopthegmata satis amplam præbent materiam horæ integræ cum utili temporis dispendio traducendæ, &, (ut loquitur de Peyrinis) *vacando non vacandi.*

Quæsita pia simul & curiosa de Missa ac Sacerdote.

QUæritur 1. *Quo differat Sacrificium Missæ a Sacramento Eucharistiæ, & a Sacrificio ultimæ Cœnæ?* R. 1, ad 1. part. Quia Sacrificium consistit in *actione transeunte*, sacrificativa, consecrationis, & necessario exigit utriusque speciei consecrationem; Sacramentum autem Eucharistiæ tamquam sacrificii effectus permanet, *in facto esse*, & in una tantum salvatur specie. Insuper Missæ Sacrificium principaliter ordinatur ad exhibendum debitum Deo cultum in contestationem supremi ejus Dominii: Sacramentum vero Eucharistiæ ordinatur ad hominem spiritualiter nutriendum; hinc ratione finis perfectius est sacrificium, quam Sacramentum, nobilior est enim finis proximus Sacrificii, scilicet Dei cultus, quam finis proximus Sacramenti, scilicet satisfactio, seu spiritualis hominis nutritio. (a)

R. 2. ad 2. part. Quia in Sacrificio Missæ offeretur Christus immortalis & impassibilis, at vero in ultima cæna Christus obtulit Deo Patri seipsum adhuc mortalem & passibilem Atque hinc ulterius patet Differentia Sacrificii Missæ ac ultimæ Cænæ quod utrumque est incruentum, a Sacrificio cruento in ara Crucis peracto.

Quæritur 2. *Post illud ultimæ cœnæ, quandonam primum Sacrificium Missæ celebratum?* R. Quamvis

---

(a) *Cavalieri T. 5. c. 1. n. 3.*

Apostoli in ultima Cæna fuerint constituti Sacerdotes, acceperintque potestatem conficiendi Corpus & Sangvinem Christi his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, sicut deinde post Resurrectionem acceperunt potestatem absolvendi a peccatis his verbis: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, (b) nihilominus usque ad diem Pentecostes, nullus Apostolorum Sacrificium Missæ celebravit, eo quod a principio fuerint summe afflicti & dispersi sicut grex absque Pastore; deinde vero fuerunt intenti prædicandæ & confirmandæ veritati Resurrectionis Christi, ac demum sese præpararunt ad Adventum Spiritus Sancti recipiendaque Ejus dona ad digne ac debite celebrandum hocce Sacrificium. Atque ex hac inter plures ratione P. Liborius Siniscalchi (c) evincit Sacerdotes debere esse specialiter devotos erga spiritum Sanctum.

Quod vero usque tandem in Festo Pentecostes celebratum fuerit primum Missæ Sacrificium svadetur apud eumdem Siniscalchi pluribus congruentiis & Authoritatibus SS. Cyrilli, Joan. Chrysostomi, Ven. Bedæ & S. Thomæ Aquinatis, cujus ultimi verba posita in secunda secundi Nocturni Lectione Feria Sexta infra Octavam Corporis Christi sunt hæc *Ut ejus institutionem illo tempore specialiter recolamus, quo Spiritus sanctus corda Discipulorum edocuit ad plene cognoscenda hujus mysteria Sacramenti. Nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum a fidelibus frequentari.*

Si autem a die Pentecostes cæpit frequentari, verosimile est, quod eo die primum fuerit celebrata Missa, in qua conficitur hocce Sacramentum; stante præterea congruentissima ratione Ven. Bedæ (d) ad legem antiquam de offerendis in die

(b) *Joan.* 20.
(c) *In Parœnesi ad Sacerd.*
(d) *Homil. de Pentec.*

Pentecoſtes novis panibus ſese reflectentis, atque ſic differentis; *Sed & hoc, quod in venerationem acceptæ legis omnibus annis Sacrificium novum Domino die Pentecoſtes offerri juſſum eſt, in noſtra quoque Feſtivitate ſpiritualiter agi. Novum in ea Sacrificium ipſi quoque Apoſtoli, mox accepto dono Spiritus, obtulerunt, cum plurimos fonte Baptiſmatis renatos, ac Spiritus Sancti gratia ſanctificatos, vivas novi Teſtamenti primitias ad Communionem Domini Altaris obtulerunt.*

Q. 3. *Quiſnam omnium Apoſtolorum primus celebraverit Miſſæ Sacrificium?* *R.* Quamvis non deſint Authores) quos inter recenſetur etiam Noſter Paez) qui hunc honorem deferant S. Jacobo primo Epiſcopo Jeroſolymitano, communior tamen ſententia cum S. Clemente, Iſidoro &c. ſtat pro primatu Divi Petri, tanquam ſupremi Capitis totius Eccleſiæ appellati ab antiquis Patribus: *Radix Hierarchiæ Eccleſiaſticæ & fons Ordinis Sacerdotalis.* Dominicus Macri in ſuo Hierolaxico Verbo *Pentecoſtes* hæc habet. *In eodem autem die, in quo penes Hebræos propter feſtum Pentecoſtes recens frumentum Domino offerebatur, ſub eadem frumenti ſpecie Corpus Chriſti D. Petrus ſacrificavit; primam enim Miſſam in hac die intra Cœnaculum Sion celebraverat. Pamel. tom. 1. Liturg. Eccles. Lat.* hactenus Macri.

Nobis media placet via dicentium cum Eſichio *Sect. 1. c. 2.* Eam Miſſam fuiſſe celebratam a S. Petro tanquam principali Sacerdote una cum cæteris Apoſtolis ad eum planè modum, quo Epiſcopus una cum Sacerdotibus a ſe noviter ordinatis Miſſam celebrat, atque hic Ritus ſupponitur habere originem ab eo, quem adhibuerunt Apoſtoli in hac prima Miſſa cum S. Petro in die Pentecoſtes celebrata.

Q. 4. *Utrum licuerit aliquando Sacerdoti plures uno eodemque die Miſſas celebrare?* *R.* Leo III. Pa-

pa novem Miſſas in die celebrabat: prout annotavit Baronius ad Ann. 816, n. 54. S. ille Albertus, de quo ſcribit Rubertus Archidiaconus, factus Preſbyter duas in die celebrabat Miſſas, pro vivis alteram, alteram pro defunctis. Concilium Salegustadienſe cap. 5. Sacerdotes ad tres Miſſas quotidianas celebrandas limitaverat, ut habet Macri *in Hierolex*. Et antiquis temporibus tres Miſſæ celebrabantur etiam in Feſtivitatibus Reſurrectionis Domini, Sancti Joannis Baptiſtæ, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

Modo, excepto die Nativitatis Domini, & caſu neceſſitatis, de qua Theologi, non licet Sacerdoti plures Miſſas eodem die celebrare *ex Cap. Sufficit Diſt: 1. de Conſecr. Sufficit* (inquit Alexander Papa) *Sacerdoti unam Miſſam in die celebrare & valde felix eſt, qui unam digne celebrare poteſt*. Et ex Cap. *Conſuluiſti* de celebr. Miſſarum *Excepto die Nativitatis Domini &c.*

Q. 5. *Quænam ſint cauſæ & motiva, ob quæ tres Miſſas in Natali Domini permiſſum eſt celebrare, cuilibet Sacerdoti? R.* Tres potiſſimum cauſæ & motiva aſſignari ſolent ab Authoribus. Prima cauſa eſt Intentio S. Teleſphori Papæ, primi hujus Trinæ celebrationis Inſtitutoris, qui primam Miſſam media nocte haberi voluit in memoriam Nativitatis Chriſti, ſecundam in aurora ad recolendam adorationem a Paſtoribus tali tempore Eidem exhibitæ: tertiam hora diei, tertia in memoriam manifeſtationis omnibus factæ *Cap. nocte de Conſecr. diſt. 1.*

Secunda cauſa eſt ex Gloſſa *in Can. Conſuluiſti*. Repreſentatio triplicis ſtatus hominum, ante Legem Moyſis, ſeu in lege *naturæ*, ſub Lege Moyſis, ſeu *ſcripta*, & poſt Legem Moyſis, quæ eſt Lex *Evangelica* & ſtatus *gratiæ*. Miſſa prima, quæ cantatur in nocte, repræſentat ſtatum illum, qui fuit ante Legem, quando omnes erant in tenebris, unde dicitur in Miſſa illa Prophetia: Populus genti-

um, quia ambulant in tenebris. Secunda, quæ dicitur in aurora, repræsentat tempus sub Lege, in quo jam incipiebant ex parte cognoscere Christum, sed non plene propter dicta Legis, & Prophetarum, & ideo cantatur inter diem & noctem, estque Missæ Introitus talis: *Lux fulgebit hodie.* Tertia dicitur in die, per quam designatur tempus gratiæ, scilicet præsens, unde Missæ Introitus: *Puer natus est nobis.* Mysterium explicatur hoc Disticho *Nocte prior, sub luce sequens, in luce suprema, sub Noe, sub David, sub Cruce, sacra nota.* Item alio paulo clariori: *Harum* (id est Missarum) *prima tibi tempus, quo lege carebant. Altera dat Moysen; designat tertia Christum.*

Tertia causa est ex Postillatore ibid. Mysterium Trinæ Incarnationis Christi assignante. Hanc causam duabus, prioribus graviorem clarissimè explicabis sic: Prima Missa designat *Generationem æternam* seu ex *Patre sine matre:* quæ Missa ideo canitur in nocte, quod talis generatio nobis sit occulta & ineffabilis juxta Prophetam (e) *Generationem ejus quis enarrabit!* atque huic Generationi correspondet etiam Missæ Introitus: *Dominus dixit ad me: Filius meus es Tu, ego* hodie (id est in æternitate) *genui Te.* Secunda Missa significat Nativitatem *in tempore* seu *ex Matre sine patre,* & quia ex Matre Virgine, talis generatio est nobis partim naturalis partim occulta, & ideo celebratur ad auroram medio tempore inter noctem & diem, unde etiam Introitus Missæ est talis: *Lux fulgebit hodie super nos,* quasi scilicet necdum plene clara sit nobis etiam hæc generatio, eo quod sit supra ordinarium cursum naturæ, ipsaque verba Introitus de sumpta ex Isaia Propheta indicant natum nobis esse parvulum adeoque hominem, quod est clarum, sed quia hic parvulus est simul Deus, hoc nobis

(e) *Isai.* 53.

est obscurum, & supra humanam rationem. Tertia Missa significat generationem *spiritualem* & *Mysticam*, sine *Patre*, *sine Matre*, sed in cordibus nostris per gratiam, unde huic Missæ assignatum est proportionatum Evangelium S. Joannis clare ostendens hanc spiritualem generationem illis verbis: *dedit eis potestatem filios DEI fieri &c.* hoc est manifestare bonis operibus hanc adoptivam filiationem, *ut* scilicet *videantur opera nostra bona & glorificetur Pater noster, qui est in cœlis:* & ideo hæc tertia Missa celebratur clara jam die.

Cæterum D. Thomas *in 3. part. qu. 83. art. 2.* ad 2. paulo aliter hoc Mysterium explicat, & secundam Missam dicendam in aurora ad generationem spiritualem refert, eo quod Christus oritur in cordibus nostris tanquam Lucifer. Tertiam vero ad generationem corporalem & visibilem, cui etiam correspondet dictum Evangelium his verbis: Et Verbum Caro factum est, quin & ipse Missæ Introitus: Puer natus est nobis.

Q. 6. *Cur Leges nostræ præfixerint Diem Lunæ seu Feriam secundam cantandæ Missæ pro Defunctis? R.* Adhuc ante Regulam nostram jussu Papæ Innocentii III. conscriptam, ab eoque anno Incarn. Dom. 1197. approbatam centum & amplius annis pius fidelium usus obtinuerat primo cujusvis septimanæ die varias pro animabus purgatorii preces fundere, atque hanc diei designationem de Anno 1056. ex instituto quorundam Monachorum initium habuisse Baronius præeunte B. Petro Damiani testatur. Verba hujus Beati lib. 2. epistolar. sunt seqq. *Quælibet animæ Defunctorum in diebus Dominicis requiescunt, atque a suppliciis feriantur; secunda vero feria ad ea, quibus assignata sunt, pœnarum ergastula revertuntur. Idcirco ipso potissimum die Angelis Missarum honor impenditur, ut & mortuis, & morituris patrocinalis eorum defensio procuretur.* Plura Macri Verbo *Missa Defunctorum.*

Q. 7. *Utrum liceat anticipare Exequias ſtante vita, ſeu pro vivo legere Miſſam de Requie?* R. Quæſtio hæc ſatis curioſa, neque hactenus a S. Congr. Conc. Trid. Interpretum reſoluta prout habetur *in novis ex aliena manu Addit.* ad Lucii Ferraris *Articulum 7. de Miſſæ Sacrificio.* B. Albertus M. longe ante obitum, ſepulchrum ſibi effodi juſſit, quod ſingulis diebus accedens Officium Defunctorum pro ſeipſo velut demortuo recitabat, ita in ejus vita *N. Joannes a S. Felice.* Piiſſimum Imperatorem Carolum V. ſolemniſſima ſibi adhuc viventi funebria celebrari feciſſe, illiſque eum ſacco indutum præſentem interfuiſſe narrat prolixe *Joannes Clericatus in ſuis Deciſionibus.* Sed quidquid ſit de his & aliis præjudicatis imo etiam de conſvetudine ſi quæ eſt, Lotharingiæ, merito, ut ait *Wigandt*, abolenda, ſententia negans id licere; verior omnino, ac in praxi tenenda, ne ſcilicet Intentio, Ordo ac Ritus Eccleſiæ immutetur. Et quæ tandem immutandorum horum neceſſitas cum ejuſdem valoris & utilitatis ſit Miſſa de die, ac de Requie.

Hac tamen Reſolutione non negatur, quin potius per omnes Theologos ſvadetur curandum eſſe ut Miſſæ ſolito Eccleſiæ Ritu celebrentur potius ſtante vita, quam ut eorum celebratio poſt mortem, differatur. Et ratio clariſſima eſt, quia Miſſæ celebratæ poſt mortem ſunt ſolum Satisfactoriæ pro pænis, quas animæ luunt in purgatorio: at vero celebratæ pro vivo, non ſolum ſunt ſatisfactoriæ, verum etiam propitiatoriæ & impetratoriæ. Plene ad rem noſtram videtur ſcripſiſſe D. Greg. M. *Tutior eſt via, ut bonum, quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat ipſe dum vivit per ſe: Beatius quippe eſt liberum exire, quam poſt vincula libertatem quærere.*

Q. 8. *Quid dicendum de Miſſa Judicii?* R. Hanc Miſſam juſtiſſimis prorſus de cauſis per ſacros Cano-

nes esse prohibitam, quamvis antiquitus fuerit usitata, eratque Missa, in qua aliquis sæculari more ab imputata calumnia sese purgare cogebatur. Missæ Introitus incipiebat ab his verbis: Justus es Domine, & rectum Judicium Tuum. Epistola sumebatur ex Deuteronomio: Ego sum Dominus Deus Tuus &c. Evangelium ex Marco in quo de observantia Decalogi fit mentio: Magister bone quid faciam &c. Communicanti dicebat celebrans: Corpus & Sangvis Domini Nostri Jesu Christi sit tibi ad probationem hodie. Post Missam ille cui decreta fuerat purgatio sumpto prius aquæ bullientis haustu osculatusque Librum Evangeliorum, aut infervventem aquam variis ad effectum Divini judicii implorandum Exorcismis præparatam nudum sese projiciebat, vel supra ferrum candens nudis pedibus incedebat, aut manibus illud tangebat: atque si incolumis evasisset, hoc modo ab imposita sibi calumnia purgabatur; quod cum nostra S. Cunegunde aliisque fæminis innocenter calumniatis actum fuisse legimus. Plura de hac Missa Macri variis in locis Hierolexici. Sacerdos tamen Missam quamlibet putet sibi esse Missam Judicii: Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, juxta Apostolum 1. Cor. 11. Hinc ulterius.

Q. 9 *Ille supremus Decretorius dies pluresne damnatos an vero salvatos exhibebit Sacerdotes?* *R.* Ex sententia D. Joannis Chrysostomi Sacerdotes plures damnandos quam salvandos. Verba S. Doctoris sunt. Non temere dico, sed ut affectus sum, & sentio; non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant. Ratio hujus resolutionis assignari potest multiplex 1. Ipsiusmet S. Chrysostomi, quoniam res excelsum requirit animum, id est quod status Sacerdotalis non vulgarem quampiam sed insi-

gnem exigat perfectionem, hæc autem in pluribus desideratur, quam habetur. 2. est D. Ambrosii quod scilicet Deus negligentes [quales Sacerdotes sunt multo plures] deserere consvevit, atque hæc Ambrosii doctrina nititur Authoritate ipsiusmet S. Scripturæ: quia tepidus es incipiam te evomere ex ore meo [i] 3. Ratio est S. Thomæ de Villanova, qui inhærens sententiæ D. Bernardi ita dicere solitabat: *Sacerdos qui diebus singulis Missæ Sacrificium celebrat, ac in meliori vita nec lucrum fecisse, nec se magis profecisse invenit, non bene ipsi est, malum signum: nam in via Domini non progredi, regredi est.* [k] In ore horum trium, imo quatuor Testium, imo plurium Sanctorum atque S. Scripturæ Interpretum, quin etiam in consensione hominum probrosam, scandalosam minimè que suo statui conformem in Sacerdotibus vitam, mortemque multis de causis infelicem satis exactè observantium, stat hujusce Assertionis firmitas: *Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis eorum ruina si peccant.* Hoc scripsit Hieronymus hoc scripsit Doctor Ecclesiæ, hoc scripsit Vir in sacris utriusque Testamenti paginis versatissimus. Quod si proinde scirem ex omnibus quotquot sunt in mundo Sacerdotibus unum solum condemnandum, nonne justo metu concuti deberem, ne forte sim ego unus ille? & quomodo tandem potero non timere, quid pro salute, animæ meæ facere, imo quid non facere debeo, ubi lego, ubi audio, ubi scio justissimo Dei judicio mille ac mille Sacerdotes damnatos damnandosque.

Q. 10. *Majorne in inferno pœna sensis maneat Religiosum irreligiose viventem an vero improbum Sacerdotem? R.* Magna equidem, imo major ac sæcularem manet pæna talem Religiosum, longe major impium Sacerdotem, omnium maxima Religio-

---

[i] *Apocal.* 3. [k] *Joan. a S. Felice in suppl. ad Flores SS.*

ſum qui fuerit talis Sacerdos. Reſolutio eſt tripartita, totaque Doctrinæ Angelici infundata. Docet hic Sanctus Doctor [l] peccata Magnatum ex ratione ingratitudinis eſſe majora peccatis cæterorum. Quo poſito tale eruitur argumentum. Ex una parte quo ſtatus ſublimior, eo major delinquentis in tali ſtatu ingratitudo, conſequentur majus peccatum: ex altera parte juſtitia poſtulat ut majus peccatum: majori pæna ſenſus plectatur in inferno: cum autem ſtatus Religioſus, præ ſæculari, Sacerdotalis præ religioſo, & præ Sacerdotali ſolitariè conſiderato, Sacerdotalis & Religioſus ſimul ſit ſublimior; conſequens eſt hominem in his Statibus delinquentem eſſe magis ac magis ingratum, atque ideo etiam gradatim majori ac majori pæna ſenſus puniendum in inferno.

Et quæ tandem major ingratitudo cogitari unquam poterit, quam ſit mea, quem Deus, mille aliis in ſæculo relictis, ad Statum Religioſum, neque vero ad Religioſum tantum, verum etiam ad Sacerdotalem evocavit. Væ! mihi, & væ multiplex, væ ut Chriſtiano, væ ut Religioſo, væ denique ut Sacerdoti! Væ quo ad pænam damni æqualem cunctis damnatis! væ quo ad pænam ſenſus majorem multis damnatis.

Eheu! inexplicabilis æterna pæna damni: nunquamque terminabilis æterna pæna ſenſus. Semper quid es? Nunquam quid es? Deo carere ſemper. Nunquam quid es? Semper quid es? uri morique ſemper. Eheu! duo vocabula, menſura ſanctitatis: nec eſt nec eſt hæç fabula, ſunt verba veritatis.

---

[l] *Lib. 18. in c. 44. Ezech.*

PUN-

PUNCTUM II.

De Recollectione Pomeridiana.

Recollectionem hoc loci nihil aliud intelligo, quam renovationem Spiritus, quæ institui potest ac debet finitis occupationibus communibus; at verò renovatio spiritus initium ducit á Reflexione super actiones quotidianas animo hasce emendandi & vitam Christianam perfectiori modo instituendi, quamobrem Reflexio ejusmodi ex vita Christi haurienda, quem sic loquentem inducimus

DIE DOMINICO.

Ex ultima cæna Christi Domini. Math: 26.

EGo vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Neque corpori neque animæ tuæ alimentum deesse patior, sed sicut pater filiis, pastor oviculis, tutor pupillis invigilat, ita Ego animæ tuæ. Posui in conspectu tuo mensam adversus omnes, qui tribulant te. Dedi me tibi in Altaris Sacramento. Comedis panem Angelorum omne delectamentum in se habentem. Quid ultra desideras? Noli ergo solicitus esse, quid manduces, sed potius quomodo manduces, ut sit quid manduces, curavi Ego, tu cura quomodo, ut animæ consulas.

Qui pro passeribus vigilat, qui lilia vestit.
Et Salomonæa pulchrius arte tegit.
Is tibi (quid trepidas) victumque togamque parabit.
Pascit aves, non & pascere credis oves.

DIE LUNÆ.

Ex lapſu Petri per negationem Chriſti. Ibidem.

PEtro me Chriſtum confeſſo ſtatim promiſi claves Regni cælorum, quamvis viderim me ab ipſo turpiter negatum iri. Præveni te quoque in benedictionibus dulcedinis, vocavi te, enutrivi te, conſervavi te, quamvis præviderim te ingratum fore. Si Petrus cecidit; timeas tibi; quisquis ſtas, vide ne cadas. Ambula in timore, quia neſcis utrum amore aut odio dignus ſis. Multi cæperunt in ſpiritu, & conſumaverunt in carne. Cedri Libani ceciderunt, arundo time. Dilige ut Petrus, ſi vis reſpici & flere ut Petrus.

Fregit prima virum mulier, mirabile non eſt,
Mollis Adam terræ ex ubere limus erat.
Altera dum Petrum frangit, miriſſima res eſt,
Petrum ſi fregit fœmina, cera time.

DIE MARTIS.

Ex proditione Judæ. Math: 26.

INgens peccatum ingratitudo. Peccavit Jeruſalem, ſed majus peccatum habuit ille, qui me tradidit. Vendiderunt Joſephum fratres, ſed mercatoribus. Judas hoſtibus, illum ut viveret, me ut morerer, pejor factus, quia illi bene feci. Nonne iraſceris proditori? Et tamen toties me vendis Fili. quoties ut hominibus placeas, mihi non times diſplicere.

Oſculo amicitiæ ſigno tituloque ſalutis
Judas te prodit Chriſte ſimulque perit.

Non mirum eſt periiſſe, DEUM qui vendidit, illi
Lux Tua nox: mors eſt vita, ruina ſalus.

DIE MERCURII.

Ex flagellatione Chriſti. Joan: 19.

NOn tam verborum acerbitas, effuſio ſangvinis, aut infamia pænæ; quam nuditas corporis me afflixit. Hæc virgineum pectus meum vulneravit ſatis. • O ſatis tandem peccatores. Ceſſate augere dolorem nuditatis meæ veſtris libidinum novitatibus. Deſinite ut Cham illudere verecundiæ Patris veſtri. Væ qui iniquitatem operamini, parcitis oculis hominum, non parcitis oculis meis.

Germine qui terram, qui veſtio floribus hortos
Sto rabidos nudus veſtibus ante canes.
Sic flagra excipio pateoque in vulnera totus
Augere, hæc culpis vulnera parce novis.


DIE JOVIS.

Ex Coronatione Chriſti: Ibid:

GRaves mihi erant ſpinæ duræ & acutæ, verum hac ratione volui habere velut vulneratos ſuperbos. Novam mihi imponis ex ſpinis coronam fili ſi in tuo ſenſu abundes & altum vis ſapere, jam ab æterno reſpexi humiles & ſuperborum colla propria virtute calcavi. Humilia te igitur ſub potenti manu mea, quia ſuperbi confundentur. His reſiſto, humilibus autem do gratiam.

Scilicet hic deerat, cum jam Tibi cœtera flagris
Saucia membra forent, it lacerare caput

Barbaries idèònè modum ſervare recuſat
Quod nullum ſerves Chriſte in amore modum.




DIE VENERIS.

Ex transfixione lateris Chriſti. Ibid:

CUm nullum corporis tui membrum a ſcelere immune fuerit, Ego quoque nullam innocentiſſimi Corporis mei partem a ſupplicio intactam volui. Peccata cordis tui hoc vulnere volebam ſanare, de corde exeunt cogitationes malæ, vide quod monſtra cogitationum pravarum nidum habent in corde tuo. Expurga illud & amori meo da locum.

Quid crux? quid ſcuticæ? quid ſpinis plexa corona?
Hæc pœnæ punctum non tetigere ſuum.
Si ſapis o Miles cor pandi debuit unum
Hic amor, hic vita eſt, lancea tangit acu.



SABBATHO.

Ex ſepultura Chriſti. Ibid:

POſuit me Joſephus in monumento ſuo novo. Novitate delector fili, ſed qua? Novitate vitæ. Fac igitur, ut recedant vetera, rumpantur vincula pravarum conſvetudinum, catenæ periculoſarum familiaritatum, laquei noxiarum occaſionum. Nova ſint omnia: omnis actio tua ſanctificetur intentione bona, fideli & ſincera erga me, Tunc invenies in corde tuo & me & pacem meam.

Felix o nimiùm proprio cui marmore fas eſt
Condere ab infami membra revulſa trabe.
Chriſte Arimathæi mihi fac obtingere ſortem
Corde meo jaceas, non Tibi marmor ero.

PUNCTUM III.

De Veneratione B. V. MARIÆ, & SS. Patronorum.

Principalissimè B. V. MARIA DEI Genitrix, ut poté clementissima Domina, Protectrix, Advocata ac Mater nostra piissima coli debet.

QUOTIDIE.

Recolendo septem Gaudia.

1. GAude flore virginali, quæ honore speciali transcendis splendiferum; Angelorum principatum & Sanctorum decoratum dignitate numerum.

2. Gaude sponsa chara DEI, nam ut lux clara diei solis datur lumine: sic Tu facis orbem verè Tuæ pacis splendere lucis plenitudine.

3. Gaude splendens vas virtutum, cujus pendens est ad nutum tota Cæli curia, Te benignam, Te felicem JESU dignam Genitricem vernans in gloria.

4. Gaude nexu voluntatis & amplexu charitatis cuncta sic Altissimo, ut ad votum consequaris, quidquid Virgo postulâris a JESU dulcissimo.

5. Gaude Virgo Mater Christi, quia sola meruisti o! Virgo purissima, esse tantæ dignitatis, quod sis Sanctæ Trinitatis sessione proxima.

6. Gaude Mater miserorum, quia Pater sæculorum dabit Te colentibus; congruentem hic mercedem, & felicis poli sedem, regnans in Cælestibus.

7. Gaude Virgo Mater pura, certa, manens & secura, quia Tua gaudia non cessabunt non decrescent, sed durabunt & florescent, per æterna sæcula.

O Sponsa Sancta & humilis Virgo pulcherrima MARIA Mater DEI, Virgo electa, esto nobis via recta ad æterna gaudia, ubi pax est & gloria. Et nos semper aure pia exaudi Virgo MARIA.

℣. Exaltata es S. DEI Genitrix.

℟. Super choros Angelorum ad cælestia Regna.

OREMUS.

DUlcissime Domine JESU Christe Fili DEI vivi, qui B. V. MARIAM Matrem Tuam perpetuis gaudiis tecum in cælis coronatam lætificâsti, concede propitius ut ejus virtutibus & meritis gloriosis, precibusque continuis salutem & prosperitatem mentis & corporis, cum abundantia omnium bonorum spiritualium & corporalium consequamur, & in hoc sæculo tam sobriè. justè & piè vivamus, ut post transitum hujus sæculi ad gaudia æterna feliciter pervenire valeamus. Qui vivis & regnas cum DEO Patre, &c.

In septem dolores B. V. M.

1. AVe dulcis Mater Christi, quæ dolebas corde tristi, Te docente Simeone, de diro mortis mucrone, sis memor hujus doloris, nunc & in omnibus horis, fac me piè memorari, pœnam Nati Tui chari.

2. Ave dulcis Mater Christi, quæ in Ægyptum fugisti flens ubi notis carebas, & labore tabescebas, nunc quæso exilii Tui, memor ac Filii. Dona nobis Filium Tuum post exilium.

3. Ave dulcis Mater Christi, quæ dolebas corde tristi Natum quærens inclytum, tribus diebus perditum, pro hac Tua mæstitia, fac me in ejus gratia, inventum per Te pleniter, perseverare jugiter.

4. Ave dulcis Mater Christi, quæ dolens & flens vidisti captum, vinctum. dirè cæsum, plenum pro-

bris dulcem IESUM, hujus memor triſtitiæ, Mater miſericordiæ, a dæmonis inſidiis ſerva me & opprobriis.

5, Ave dulcis Mater Chriſti, quæ dolens & flens vidiſti cruci nexum ſpecioſum JESUM factum ut leproſum, per dolorem hunc tam fortem & per Nati Tui mortem in hora mortis ultima, adſis mihi Clariſſima.

6. Ave dulcis Mater Chriſti, quæ de cruce ſuſcepiſti JESUM jam mortuum, piorum plena fletuum, ulnis Tuæ clementiæ fove me Mater gratiæ, cum omnibus fidelibus ſolamina poſcentibus.

7. Ave dulcis Mater Chriſti, quæ poſt mortem Chriſti, dolendo ſæpê vidiſti cuncta loca Martyrii ejus plena ſuſpirii, ob pænas quas ſuſceperas, iſta loca dum videras, da poſt hæc tranſitoria, mihi locum in gloria.

In honore nunc tantorum, cæterorumque dolorum, quos pro Nato corde triſti, Virgo inquam, pertuliſti, meam Tibi miſeriam commendo ſerva animam meam ſemperque ſis doloribus dulcis adjutrix omnibus.

In Memoriam præcipuorum quinque dolorum.

1. *Cum Simeon occidendum Filium prophetavit.*
2. *Cum perditum per triduum quæſivit.*
3. *Cum captum & ligatum audivit.*
4. *Cum Crucifixum vidit.*
5. *Cum in ſepulchrum poſuit.*

Dic quinquies Pater & Ave.

Ergo Virgo miſerere, & a malis me tuere.
Fida Mater filiorum, & Patrona miſerorum.
Audi preces magni rei. Qui paveſcit iram DEI.
Mecum ſimul ſupplica Pande Nato viſcera.
Fac me ſcelus expiare, & quod peto impetrare.
Hic in terris gratiam, dein optatam Patriam.

DIE DOMINICO.

Devotio ad Sanctos Patronos Profectus Spiritualis.

Ter Pater, & Ave, cum Credo.

SAnctiſſimi Patriarchæ noſtri Joannes de Matta, & Felix Valeſie, S. Franciſce de Paula & Saleſi, S. Petre de Alcantara, S. Philippe Neri &c. Patroni mei intercedite pro me, ut in via Religioſæ perfectionis gratia Domini noſtri JESU Chriſti magis magiſque progredi valeam. Perficite in me ad exemplum veſtrum Regularem & Eccleſiaſticam Diſciplinam, & orate pro me, ut DEUS per ſuam piiſſimam miſericordiam præſtet me eſſe Filium ac Diſcipulum veſtrum. Impetrate mihi cordis compunctionem, omnium peccatorum remiſſionem, veram devotionem, fidem ſpem charitatem, patientiam, caſtitatem, manſvetudinem, obedientiam, Religioſam paupertatem humilitatem S. obſervantiam, & in his omnibus uſque ad finem perſeverantiam. Amen.

DIE LUNE.

Devotio ad Sanctos Patronos converſationis quotidianæ.

Ter Pater, & Ave, cum Credo.

SAnctiſſimi Archangeli Michàël Gabriel, & Raphàël, S. Angele mi Cuſtos, SS. Patroni in Baptiſmate & Confirmatione, SS. Patroni hujus anni & hujus menſis, S. Joannes Bapt: S. Joannes Evangel: &c. (Lectores & ſtudentes addant Patronos

ſuorum ſtudiorum) Patroni mei ducite me peregrinum itá per devia & invia, ut nunquam a ſcientia Sanctorum & recta ſalutis via aberrem, corrigite declinantem, devientem corripite & reducite, ſi ambulavero in medio umbræ mortis & ignorantiæ, ſi conſiſtant adverſum me dæmonum caſtra, ſi exurgant adverſum me mundi & carnis prælia, non timebit cor meum, quia vobis ducibus & Patronis auxilium a Domino. Amen

DIE MARTIS.

Devotio ad Sanctos Patronos. caſtitatis.

Ter Pater, & Ave cum Credo.

S. Sebaſtiane, S. Caſimire, S. Staniſlae Koſtka Patroni mei, intercedite ad DEUM, ut corroborata debili natura mea ad reſiſtendum mundo, carni & diabolo, illuſtri adjutrice gratia DEI mori, quàm ad minimam caſtitatis jacturam conſentire prius optem. Amen.

DIE MERCURII

Devotio ad Sanctos Patronos bonæ mortis.

Ter Pater, & Ave cum Credo.

SAncte Joſeph, S. Joachim, S. Anna, S. Barbara, S, Onuphri &c. Patroni mei intercedite ad Dominum JESUM Chriſtum, ut me in hora mortis meæ oculis ſuæ miſericordiæ reſpicere, in Sanctiſſimo lateris ſui vulnere abſcondere. cor meum in

agone palpitans ſolari & a preſſuris animi miſericorditer liberare dignetur. Non permittat me impænitentem ex hac vita migrare, aut morte improviſa præoccupari, quin potiùs antè mortem dignos fructus pænitentiæ facere, conſcientiam ritè expiare, & perceptis dignè ac piè ſacroſancti Viatici ſacræque unctionis Sacramentis ad ſe feliciter pervenire concedat. Suſcipiat Salvator meus luctantem tunc ſpiritum meum illa ſua immenſa charitate, qua pro nobis miſeris peccatoribus in cruce mori dignatus eſt, detque gratiam ut conformando me Divinæ voluntati & recolendo acerbiſſimam Domini mei paſſionem, in oſculo vulnerum ejus vitam finiam. Aſſiſtant mihi in illa ſuprema lucta Sancti Angeli DEI, pugnantem contra omnes tentationes roborent & protegant, ac denique ſolutum a corpore ſpiritum in paradiſum exultationis cum lætitia & gaudio deferant. Amen.

DIE JOVIS.

Devotio ad Sanctos Patronos in neceſſitatibus vitæ.

Ter Pater, & Ave cum Credo,

SAncte Juda Thadæe, S, Eraſme S. Joannes Nepomucene, S. Cajetane, cæterique Patroni mei intercedite ad DEUM, ut oportuna ſubſidia cæleſtis Ejus providentiæ ſentiendo, ad ſempiterna jugiter aſpirando, ab omni infamia & confuſione, vel maximé ab imminenti periculo N. per piiſſimam JESU Chriſti miſericordiam erui merear, atque univerſas inſidias inimicorum meorum viſibilium & inviſibilium morboſque corporis cum gaudio valeam ſuperare, & in Chriſto bonis omnibus abundare. Amen.

DIE VENERIS.

Devotio ad Sanctos Patronos Ordinis Noſtri.

Ter Pater, & Ave cum Credo,

SAncta Catharina, S. Agnes, S. P. Bernarde cæterique Patroni noſtri impetrate Religioni meæ augmentum ſpirituale & temporale, ſapientiam ſingulis cum Cæleſti temporalem, ut devictis infernalis tyranni fraudibûs, mundique & carnis illecebrîs ſuperatis, aptum Divinæ gloriæ fideique Catholicæ propagandæ inſtrumentum evadamus, ſimulque puritatem corporis & manſvetudinem ſpiritus perpetuó conſervantes ad JESUM verum Agnum, qui tollit peccata mundi, feliciter perducamur.

SABBATHO.

Devotio ad Sanctos Patronos Regni Poloniæ.

Ter Pater, & Ave cum Credo.

SAncte Adalberte, S. Staniſlae, S. Hyacinthe omneſque Sancti Patroni Regni Poloniæ & hujus loci, voſque animæ Sanctæ, quarum honor & cultus aut necdum in Eccleſia DEI permiſſus aut a nemine promovetur: vos item Sancti, quorum Sacræ Reliquæ in hoc loco circumcirca, vel apud me aſſervantur: Sancti demum quibus idem qui mihi ſupremus, dies ſacer, impetrate mihi remiſſionem omnium peccatorum, gratias atque benedictiones Divinas in præſenti ſæculo, & gloriam æternam in futuro. Amen.

EXERCITIUM
VESPERTINUM
PUNCTUM I.
De Veſperis abſolvendis.

Abſolutis in communi Veſperis recitatur altera pars triplicis cultus B. V. MARIÆ.

GAude DEI Genitrix Virgo Immaculata. Gaude quæ gaudium ab Angelo ſuſcepiſti, Gaude, quæ genuiſti æterni Luminis claritatem. Gaude Mater, gaude Sancta DEI Genitrix Virgo, Tu ſola Mater intacta, Te laudat omnis creatura Genitricem Lucis, intercede pro nobis ad Dominum.

℣. Ora pro nobis S. DEI Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

FAmulis Tuis quæſumus Domine cæleſtis gratiæ munus impertire, ut quibus B. Virginis partus extitit ſalutis exordium, Conceptionis Ejus votiva commemoratio pacis tribuat incrementum. Eccleſiæ Tuæ quæſumus Domine preces placatus admitte, ut deſtructis adverſitatibus & erroribus univerſis ſecura Tibi ſerviat libertate. Et famulos Tuos quæſumus Domine non deſerat pietas Tua, quia in confeſſione Sanctiſſimæ Trinitatis nos credimus eſſe ſalvandos, in qua vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Si fuerit dies Dominica, aut octava Sanctiſſimæ Trinitatis dicitur ad lucrandas Indulgentias Triſa-

gion: Sanctus, Sanctus, Sanctus; Dominus DEUS Exercituum; plena est terra gloria Tua: Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui Sancto.

Atque hæc, neque plura. nec pauciora sunt verba Trisagii recensitis in Exercitio Matutino, Puncto 3. Indulgentiis exornati, ut clarum est ex Brevi Concessionis & Extensionis earumdem.


De Stationibus Urbis.

PLures Romani Pontifices virtute clavium sibi in Persona Petri commissarum multas concessere Indulgentias his, qui statis diebus certas in Urbe Roma Basilicas visitâssent, & inibi ad intentionem S, Matris Ecclesiæ orassent. Porró ut intelligas Stationum originem (verba sunt Cardinalis Toleti lib: 6, cap. 28.) adverte ex Tertulliano cap. 29. Apol: ex tempore persecutionis solere Christianos noctu convenire in Basilicas Martyrum, tum ad laudes DEI, tum ad negotia circa Religionem tractanda, tum ad corrigendos Fratres, qui non bene ambulabant. Postea persecutione cessante Fideles remittebantur, & negligentes erant in Stationibus coutinuandis; Propterea Gregorius Magnus ad attrahendas animas Fidelium, ne vacarent a Divinis laudibus, adjunxit magnas Indulgentias visitantibus loca, seu Stationes: nam nomen Stationis significat locum, in quo frequenter conveniri solet ad negotia tractanda. *Hæc Toletus, at longè plura Macri verbo Statio.*


Paulus V. Constitut: *Romanus Pontifex* §. 11. concessit Regularibus visitantibus propriam Ecclesiam prædictas Indulgentias Stationum, nec Innocentius XI. reprobavit. sed tantum semel in die lucrandam restrinxit. Ad has autem, uti & ad plures alias Indulgentias consequendas, quænam preces recitari debeant, non est res determinata. In cit: Bulla Pauli V. §. mox sequenti ad lucrandam quolibet die a Religiosis quinque Annorum & totidem

Quadragenarum Indulgentiam præſcribitur recitanda quinquies Oratio Dominica & toties Salutatio Angelica. Nobis non incongruum erit ſi 6. Pater & toties Ave cum 12. Gloria Patri ac Credo recitaverimus. Infirmi atque itinerantes quamvis non poſſint Eccleſiam accedere, ſi tamen ut præfertur oraverint, aut opus pium exercuerint, poſſunt eaſdem Indulgentias lucrari. ut idem Paulus V. declaravit Congregat. Fulgen: 14. Novemb: 1609.

Circa Jndulgentias Stationum Urbis hæc præterea ex AA. obſervanda. 1. Quod illæ nequeant applicari pro defunctis, niſi expreſſé conceſſæ ſint pro iiſdem ſeu pro liberatione animæ: vel niſi quis habeat Bullam Cruciatæ. 2. Quod additio tot vel tot millium Annorum, aut remiſſionis tertiæ partis peccatorum ſeu pænarum illis debitarum, videatur eſſe contra rationem Jndulgentiæ plenariæ, ſi ſcilicet nequeant defunctis applicari. 3. Quod ſimiles multorum millium annorum conceſſiones videantur pugnare cum diſciplina Eccleſiæ in concedendis Jndulgentiis, eaſque inter apocryphas reponit Benedictus XIV. lib: 13, de Synodo cap. 18. n. 8. Alii dicunt eſſe fictitias, commentitias, incredibiles ac planè improbabiles. Cum tamen etiam iſtæ a magnæ notæ AA. proponantur, paſſimque inter Stationes Urbis recenſeantur, neque nos eaſdem omittemus, niſi ubi aſſignata fuerit Plenaria, aut Remiſſio tertiæ Partis peccatorum, his namque & præſertim Plenariæ millenarios annos ſuperaddere videtur eſſe ſuperfluum ſaltim quo ad carentes privilegio Bullæ cruciatæ. Curet quilibet adimplere ea quæ ad plenariam requiruntur, & benè ſecurus erit etiam de Millenariis & cæteris, ſi quæ ſunt veræ, (prævia utique generali ad lucrandas, quotquot eo die lucrari poſſunt, intentione) conſequendis.



 100



ELENCHUS

STATIONUM URBIS

Jn Januario.

JN Circumcisione Domini, Statio ad S. Mariam Trans-Tiberim: Indulgentia plen.

In Epiphania Domini, Statio ad S. Petrum, Indulgentia plenaria.

In Februario.

Dominica Septuagesimæ, Statio ad S. Laurentium extra muros: Plenaria.

Dominica sexagesimæ, Statio ad S. Paulum. Plenaria.

Dominica Quinquagesimæ, Statio ad S. Petrum. Plenaria.

In Quadragesima.

Feria 4. Cinerum, Statio ad S, Sabinam Indulgentia, plenaria.

Feria 5. post Cineres Statio ad S. Gregorium. Indul: 10000. annorum.

Feria 6. Statio ad SS. Joannem, & Paulum. Indulg: 10000, ann,

Sabbatho post Cineres, Statio ad S. Tryphonem Plenaria.

Dominica 1. Quadragesimæ. Statio ad S. Joannem in Laterano. Plenaria & liberatio animæ e Purgatorio.

Feria 2. Statio ad S. Petrum ad Vincula, Indulg. Plenaria.

Feria 3. Statio ad S. Anastasiam, Indulg: 23000. ann: cum totidem Quadragenis, & liberatio animæ.

Feria 4. Statio ad S. Mariam Majorem, remissio tertiæ partis peccatorum,

Feria 5. Statio ad S. Laurentium in Paneperna. Plenaria.

Feria 6. Statio ad SS. duodecim Apostolos. Plenaria.

Sabbatho, Statio ad S. Petrum. Plen:

Dominica 2. Quadragesimæ, Statio ad S. Mariam Majorem, Indulg: 18000. ann: & totidem Quadrag:

Feria 2. Statio ad S. Clementem. Plen.

Feria 3. Statio ad S. Balbinam. 10000. ann.

Feria 4. Statio ad S. Cæciliam. 10000. ann.

Feria 5. Statio ad S. Mariam Trans-Tiberim, Indulg: ann: 25000.

Feria 6. Statio ad S. Vitalem, ann: 10000.

Sabbatho. Statio ad SS. Marcellinum, & Petrum. Plen: & liberatio animæ.

Dominica 3, Quadragesimæ, Statio ad S. Laurentium extra muros, Indulg: ann: 19000. & 43. Quadragenarum, & liberatio animæ.

Feria 2. Statio ad S. Marcum. Plen.

Feria 3. Statio ad S. Pudentianam. Plen.

Feria 4. Statio ad S. Sixtum. Plen.

Feria 5. Statio ad SS. Cosmam & Damianum, ann: 10000.

Feria 6. Statio ad S. Laurentium in Lucina, ann: 10000.

Sabbatho. Statio ad S Susannam ann: 13000.

Dominica 4. Quadragesimæ, Statio ad S. Crucem in Jerusalem. Plen: & liberatio animæ.

Feria 2. Statio ad SS. quatuor Coronatos, ann: 10000.

Feria 3. Statio ad S. Laurentium in Damaso, remissio tertiæ partis.

Feria 4. Statio ad Sanctum Paulum. Plenaria.

Feria

Feria 4. Statio ad S. Paulum, Plen.
Feria 5. Statio ad SS. Silvestrum & Martinum ann. 10000.
Feria 6. Statio ad S. Eusebium, ann. 10000.
Sabbato. Statio ad S. Nicolaum in Carcere Plen.
Dominica Passionis, Statio ad S. Petrum, remissio tertiæ partis.
Feria 2. Statio ad S Chrysogonum, ann. 10000.
Feria 3. Statio ad S. Cyriacum, ann. 10000.
Feria 4. Statio ad S. Marcelllum ann. 10000.
Feria 5. Statio ad S. Apollinarem, ann. 10000.
Feria 6. Statio ad S. Stephanum in Cælio Monte, liberatio animæ.
Sabbato Statio ad S. Joannem ante Portem Latinam ann. 13000. & Liberatio animæ.
Dominica Palmarum, Statio ad S. Joannem in Laterano. Plen. & liberatio animæ.
Feria 2. Statio ad S. Praxedem, Plen.
Feria 3. Statio ad S. Priscam. Plen.
Feria 4. Statio ad S. Mariam Majorem. Plen.
In Cæna Domini, Statio ad S. Joannem in Laterano, Plen, & liberatio animæ.
In Parasceve, Statio ad S. Crucem in Jerusalem Plen.
Sabbato Sancto, Statio ad S. Joannem in Laterano, Plen. & liberatio animæ.
Dominica Resurrectionis. Statio ad S. Mariam Majorem, Plen.
Feria 2. Statio ad S. Petrum Plen.
Feria 3. Statio ad S. Paulum Plen.
Feria 4. Statio ad S. Laurentium extra muros, remissio tertiæ partis.
Feria 5. Statio ad SS. 12. Apostolos. Plen.
Feria 6. Statio ad S. Mariam ad martytes ann. 15000.
Sabbato in Albis, Statio ad S. Joannem in Laterano, Plen. & liberatio animæ.
Dominica in Albis, Statio ad S. Pancratium, Plen.

In Aprili.

Die 25 in Festo S. Marci Evangelistæ, Statio ad S. Petrum. Plen.

In Majo.

Feria 2. Rogationum, Statio ad S. Mariam Majorem, remissio tertiæ partis.

Feria 3. Rogationum. Statio ad S. Joannem in Laterano. Plen.

Feria 4. Rogationum, Statio ad S. Petrum Plen.

In Ascensione Domini, Statio ad S. Petrum Plen.

In Junio.

Sabbato in Vigilia Pentecostes, Statio ad S. Joannem in Laterano, Plen. & liberatio animæ.

Dominica Pentecostes Statio ad S. Petrum Plen.

Feria 2. Statio ad S. Petrum ad Vincula Plen.

Feria 3. Statio ad S. Anastasiam, remissio tertiæ partis.

Feria 4. Statio ad S. Mariam Majorem ann. 60000. & totid. Quadrag.

Feria 5. Statio ad S. Laurentium extra muros, remissio tertiæ partis, & liberatio animæ.

Feria 6. Statio ad SS. 12. Apostolos. Indulg. multorum annorum.

Sabbato ante Festum SSS. Trinitatis, Statio ad S. Petrum, remissio tertiæ partis.

In Septembri.

Feria 4. quatuor temporum Septembris, Statio ad S. Mariam Majorem. Plen.

Feria 6. quatuor temporum Septembris. Statio ad SS. 12. Apostolos. Plen.

Sabbato quatuor temporum Septemb. Statio ad S. Petrum remissio tertiæ partis.

In Decembri.

Dominica 1. Adventus, Statio ad S. Mariam Majorem Plen.

Dominica 2. Adventus, Statio ad S. Crucem in Jerusalem. Plen.

Dominica 3. Adventus. Statio ad S. Petrum. Plen.

Feria 4. quatuor temporum Adventus. Statio ad S. Mariam Majorem. Plen.

Feria 6. quatuor temporum Adventus Statio ad SS. 12. Apostolos, ann. 10000.

Sabbato quatuor temporum Adventus, Statio ad S. Petrum Plen.

Dominica 4. Adventus, Statio ad SS. 12. Apostolos. Plen.

In Vigilia Nativitatis Domini, Statio ad S. Mariam Majorem. Plen.

In Nativitate Domini ad primam Missam in nocte Statio ad S. Mariam Majorem ad Præsepe Plen.

Ad 2. Missam in Aurora, Statio ad S. Anastasiam. Plen.

Ad 3. Missam in die Nativitatis Domini, Statio ad S. Mariam Majorem Plen.

In Festo S. Stephani Proto-Martyris, Statio ad S. Stephanum in Cælio Monte Plen.

In Festo S. Joannis Apostoli & Evangelistæ, Statio ad S. Mariam Majorem Plen. & liberatio animæ.

In Festo SS. Innocentium, Statio ad S. Paulum. Plen.

DE ALIIS INDULGENTIIS

quas Religiosi Ordinis Nostri lucrari possunt.

Connexio materiæ postulat, ut Indulgentiis Stationum Urbis (quarum ergo plerumque post Vesperas orare solent probi & salutis amantes Religiosi) addamus reliquas, tam scilicet communes

cum aliis, quam Ordini Nostro peculiares. Has autem omnes cum lucrari possint etiam Novitii, juvenesque Theologicis disciplinis necdum exculti, operæ pretium duximus eos monere de sequentibus:

Indulgentia est Remissio pænæ temporalis (id est vel in hac vita vel in purgatorio luendæ) debitæ pro peccatis actualibus (peccatum enim originale ejusque pæna remittitur per Baptismum) quo ad culpam jam remissis, supp. per Sacramentum Pænitentiæ. Unde volens lucrari indulgentias debet esse in statu gratiæ, hoc est absque peccato mortali, quia remissio culpæ debet præcedere remissionem pænæ, neque potest per Indulgentiam remitti pæna temporalis illi, qui ob culpam mortalem reus est pænæ æternæ. Quin etiam ubi præscribitur confessio & Communio, debet omnino præmitti Confessio, quantumvis non habeantur peccata mortalia, sed sola duntaxat venialia: debentque impleri aliæ conditiones præscriptæ ad lucrandam talem vel talem Indulgentiam.

Dogma Fidei Catholicæ est dari in Ecclesia potestatem remittendi pænam temporalem seu concedendi Indulgentias per applicationem Thesauri Ecclesiastici, hic autem Thesaurus Ecclesiæ constat in primis ex meritis & satisfactionibus Christi, quæ, cum sint valoris infiniti, constituunt thesaurum inexhauribilem, & ulterius constat ex meritis B. V. Mariæ, & omnium Sanctorum, Quamvis enim satisfactiones Christi, ut pote infinitæ, de se sufficiant, & superabundant ad constituendum Ecclesiæ Thesaurum sufficientem, & superabundantem pro omnibus, congruum tamen fuit, ut ex Divina dignatione ad constituendum hunc spiritualem Ecclesiæ Thesaurum assumerentur etiam merita, & satisfactiones Sanctorum, ne alioquin eorum merita, & satisfactiones quoad vim satisfactoriam a Deo irremunerata remaneant, & ut per hoc magis elucesat perfecta unio Sanctorum cum Christo

capite suo, & in corpore mystico Ecccesiæ perfecta servetur Communio Sanctorum.

Quod spectat divisionem Indulgentiarum volentibus eas lucrari satis scire *Plenariam* esse unam, *non Plenariam* seu *Partialem* alteram. Prior remittit totam pænam temporalem peccatis omnibus quo ad culpam jam aliunde remissis restantem & debitam: posterior remittit partem talis pænæ. Et hæc posterior seu *Partialis* alia est *Septena* seu septem annorum, alia *Quadragena* seu Quadraginta dierum, alia *Carena*, quadraginta item dierum, at simul excludens omne consortium humanum & quemvis alium victum præter solum panem & aquam, alia denique tot vel tot annorum aut dierum, per quas omnes intelligi debet remissio tantæ pænæ, quanta fuisset remissa ob pænitentiam ex. gr. septem annorum vel quadraginta dierum &c. antiquitus stylo illo rigidioris Ecclesiæ præscriptam ac definitam pro peccatis. Alias plures Indulgentiarum partitiones, ut in *Perpetuam*, *Temporalem*, *Localem*, *Realem*, *Personalem*, item in *Remissionem Tertiæ* vel *quartæ partis peccatorum*, hoc est pænarum de antiquo rigore Ecclesiæ debitarum tertiæ vel quartæ parti peccatorum, voces ipsæ per se claræ ostendunt. Omnibus porro applicari potest (prout de facto in Extravag. *Unigenitus DEI Filius de pænitentiis & remissionibus inter communes* applicatur) illud Sapientis Sap. 17. *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ DEI.* Videant proinde, quantum sibi noceant, qui thesauro hocce neglecto, pænas reservant in futurum. Nonne dicendum eis, quod olim filiis suis frumenti penuria laborantibus dixerat Jacob Patriarcha: *Quare negligitis? descendite, & emite nobis necessaria, ut possimus vivere.* Gen. 42. Quid moramini & desidia torpetis? *Venite, emite absque argento.* Isai. 55.

ELENCHUS INDULGENTIARUM
quas ultra Stationes Urbis Religiosi Ord. SSS. Trinitatis lucrari possunt.

PRIMO. Paulus V. Constitutione, quæ incipit: *Romanus Pontifex. Romæ 23. Maji 1606.* habeturque in *Bullario Romano Laërtii Cherubini Tom. 3.* & passim apud AA. sublatis variis in antecessum habitis, sequentes novas omnibus Regularibus intra Claustra viventibus concessit Indulgentias.

§ 5 Die ingressus in Religionem, Plenar.

§ 6 Die Professionis Votorum Religionis. Plenar. quam Laur. de Peyrinis &c. AA. extendunt etiam ad diem Renovationis Votorum.

§ 7 In Festo principali sui Ordinis Plenar.

§ 8 In vero mortis Articulo Plen.

§ 9 Primam Missam celebranti, & cæteris Religiosis, qui tali die confessi & sacra Communione refecti eidem Missæ interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebraverint, Plenar.

§ 10 Exercitia spiritualia spatio decem dierum peragenti Plenar.

§ 11 Diebus Stationum Urbis propriam Ecclesiam visitanti easdem Indulg. quæ visitantibus Ecclesias Urbis sunt concessæ.

§ 12 Quolibet die quinque *Pater* & *Ave* ante Altare suæ Ecclesiæ oranti Indulg. Quinque ann. & totid. Quadragen.

§ 13 Extendit eandem Indulg. quoad Infirmantes quinque *Pater* & *Ave* ante quodvis Altare recitantes. Reliquis quatuor Parag. conceduntur variæ Indulg. peragentibus quotidie Orationem mentalem, dicentibus suas culpas in Capitulo, Missionariis in terris Infidelium & Hæreticorum, nec non sub tempus Devotionis 40. Horar. in visitationibus General. spatio duarum saltim interpolatarum horarum orantibus.

Ad § 7 notand. quod idem Paulus V. & ejus usque ad Clementem XIII. Successores concesserint alias plenarias Ordini Nostro Nostrisque Confratribus Indulgentias, quas absolutionem Generalem, de qua supra, appellamus, primum quidem pro quinque, tum deinde pro septem Anni Festivitatibus seu diebus, & sunt sequentes:

In Festo S. Agnetis secundo 28 Januar.
In die Cinerum.
In Festo S. P. N. Joannis de Matta. 8. Febr.
In Cæna Domini.
In Festo SSS. Trinitatis.
In Festo S. P. N. Felicis de Valois. 20. Novebr.
In Festo S. Catharinæ V. & M. 25. Novembr.

SECUNDO. Dictus Clemens XIII. Rescripto suo Apostolico die 17. Januar. 1769. Romæ ex Secretaria S. Congr. Indulg. expedito & typis Rever. Cameræ Apostolicæ, ut moris est impressò confirmavit omnes & singulas infrascriptas Indulgentias jam alias a Summis Pontificibus Ordinis Nostri Religiosis concessas, nimirum:

1. Quoties verè pænitentes, confessi, ac sacra Communione refecti pro felici statu, & pace S. R. E. totius Reipublicæ Christianæ per spatium unius horæ contemplationi vacaverint, & in honorem SSS. Trinitatis Hymnum Te Deum laudamus devotè recitaverint, vel Coronam B. M. V. dixerint, vel cilicium portaverint, vel per spatium Psalmi Miserere mei Deus &c. se flagellis ceciderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam quatuor tantum vicibus in anno lucrandam.

2. Indulgentiam pariter Plenariam in mortis articulo, si vero pænitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltim contriti SSmum Jesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde saltem invocaverint.

3. Insuper eisdem Religiosis qui dictum Ordinem in suo primitivo rigore perseverare curaverint,

ſanctas conſvetudines, Conſtitutiones, & Regulam diligenter ſervaverint, ſeu Superiorum mandatis promptè obtemperaverint, aut ter in hebdomada, ut mos est, ſe flagellaverint, vel duabus horis quotidianis Orationi mentali præſentes fuerint, aut jejunaverint, ſeu cilicium portaverint, vel Refectorium cum aliqua mortificatione intraverint, ſive pedes Religioſorum humiliter deoſculati fuerint, vel alapam in memoriam Paſſionis Chriſti ſuſceperint, ſeu culpas ordinarias coram aliis Religioſis in Capitulis culparum dixerint, ſive Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, aut horis canonicis devote interfuerint, ſeu voluntatem ſuam abnegaverint, aut aliquem actum humilitatis, Fidei, Spei, & Charitatis, vel alicujus virtutis fecerint, aut res ad Captivorum redemptionem pertinentes diligenter tractaverint, toties pro quolibet præſatorum operum exercitio Indulgentiam Centum Dierum benigne pariter confirmavit.

Voluitque eadem Sanctitas ſua, has omnes & ſingulas gratias perpetuis futuris temporibus abſque ulla Brevis expeditione fore valituras.

TERTIO. Religioſi poſſunt lucrari omnes illas indiſcriminatim Indulgentias, quæ ſunt omnibus Chriſti fidelibus conceſſæ, ſic

1 Ad Angelus Domini, quod flexis genibus, debet recitari exceptis Dominicis & tempore Paſchali quavis vice 100. dierum, & ſemel in Menſe, Plen.

Regulares impediti aliqua functione, ea finita immediate debent recitare.

2 Ad horam noctis primam recitando Pſalm. De profundis, aut & *Pater Ave* cum *V*. Requiem æternam, quovis die 100. & ſemel in Anno, Plen.

3 Triſagion quovis die ſemel recitantibus 100. dierum, Die Dom. & per octavam SSS. Trinitatis ter in die.

4 Salutando aliquem his verbis: Laudetur Jesus Chriſtus, 50 dierum.

5 Nomina Jesus Maria invocantibus 300. dierum.

6 Litanias Nominis Jesu recitantibus 300. dierum.

7 Litanias Lauretanas, 200. dierum.

8 Feriis sextis hora tertia post meridiem 5. *Pater* & *Ave* recitando in memoriam Passionis Christi pro qualibet vice, 100. dierum.

9 Coronas, Cruces, Medalia a Romanis Pontificibus vel eorum delegatis benedicta deferentibus concessæ sunt variæ Indulgentiæ videndæ apud *Reiffenstuel* & alios probatæ fidei AA.

10 His addendæ sunt Orationes *Sacrosanctæ*, *Patris Sapientia*. *Ego volo celebrare Missam*. *Obsecro Domine*, post Missam, & aliæ, dummodo non sint apocryphæ, aut per subsequentes Pontifices præsertim autem per Decretum Innocentii XI. *Delatæ sæpius* Anno 1678. die 7. Martii revocatæ.

PUNCTUM II.

De lectione Spirituali.

AD arcendum teporem in spiritu augendumque Orationis præsertim Mentalis exercitium, sanctissimé legibus nostris *Cap. 13. n. 2.* injunctum est Religiosis nostris, ut singulis diebûs per horam saltim dimidiam ante Meditationem vespertinam incumbant Lectioni Librorum spiritualium, Qui licet si in nullo Conventu desiderari queant, ponuntur nihilôminus hic aliquæ Religioso statui accomodatæ cum ordine ad Materias Vespertinarum Meditationum.

DIE DOMINICO.

De vocatione ad Statum Religiosum, ejusque Fine Charitate.

Vocavit nos DEUS vocatione sua sancta, inquit Apostolus (a) & quare vocavit? non alio utique fine, respondet idem ipse, nisi *ut essemus sancti & immaculati in conspectu Ejus in charitate* (b) His verbis affatur Apostolus primo quidem in persona *Timothei* Ecclesiasticos, deinde scribendo *Ephesiis*, omnes prorsus vocatos ad fidem; neque enim aliquis fidelium ab ineunda vitæ sanctitate eximitur, & quod hæc in quolibet statu, dummodo is vocante Deo suscipiatur, obtineri possit, cum in quolibet adsint Divina auxilia, & in nullo desint exempla sanctitatis. (c) Verba illa Levitici cap. 11. *Sancti estote, quia ego sanctus sum*, non ad solos Levitas, sed ad omnem electum a Deo populum, qualis nunc jure longe potiori sunt omnes Catholici, dicta sunt, statque veritas inconcussa Patrum atque Theologorum consensu stabilita Christianos omnes, sive illi sint Laici sive Ecclesiastici, & hi ipsi sive sintsæculares sive claustrales, ligari indispensabili præcepto aspirandi ad perfectionem sitam in charitate, quæ est vinculum & apex perfectionis juxta illud maximum utriusque Legis mandatum: *Diliges Dominum DEUM tuum &c.* Audiatur unus e Sanctis Patribus Ambrosius (d) *Christianum cum dico, perfectum dico*. At vero è Theologis consulatur P. Daniel Concina, ubi infra *de statu Religioso*.

2. Quamvis autem omnium Christianorum idem sit scopus & terminus charitas, ad quam omnes vi præcepti graviter & sub mortali obligantis arcta via

(a) 2. *Timot.* 1. (b) *Ephes.* 1. (c) *Bordoni Anno 3. Disc. 71.* (d) *ser. 12. in Psal. 118.*

tendere debent, non tamen eadem sunt media, sæcularibus enim sufficit Mandata DEI & Ecclesiæ exacte adimplere, in Religiosis vero ultra hæc requiritur etiam consiliorum Evangelicorum, adeoque votorum essentialium, omniumque legum sui Ordinis Divino afflante Numine conscriptarum & ad imitationem doctrinæ ac vitæ Christi tendentium observantia derivata ab illa regula Salvatoris (e) *Si vis perfectus esse, vade &c. & veni sequere me*. Atque ex hoc consilio Christi clare deducitur, quid ad perfectionem defuerit illi juveni Evangelico, quamvis alias omnia præcepta decalogi custodienti ab adolescentia sua; colligitur inquam, defuisse illi paupertatem voluntariam & obedientiam sine mora voci Christi, quem si secutus fuisset, didicisset etiam tertium consilium Evangelicum de castitate perpetua. *Sunt Eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum* (f) audisset multoties cælestem illam doctrinam de virtute humilitatis, de non ambiendo primo accubitu & majoratu, de Orationibus, vigiliis, Jejuniis &c. Merito proinde Patrum & diserte D. Thomæ sententia: *Per consilia facilius, securius & perfectius finis, qui est charitas obtinetur*. (g) Quin etiam Status Religiosus ab eodem Angelico (h) dicitur *Disciplina quædam seu exercitium perveniendi ad perfectionem*: ab aliis *Schola, facilius perveniendi ad perfectionem charitatis*.

3. In hac schola non proficientes, longe magis atque scelestius peccant, multoque gravius vapulabunt Religiosi præ hominibus sæcularibus, eo quod, e tumultu sæculi nequam, millenisque periculis ejus erepti, in securiori a naufragio portu constituti, curis omnibus de necessario victu & amictu alendaque familia exempti, tempus, magistros, socios & in via spirituali præeuntes exemplo duces

---

(e) *Math.* 19. (f) *ibid.* (g) *opusc.* 17. *cap.* 6. (h) 2. 2. *qu.* 186. *art.* 2.

nacti, ac denique tot tantisque donis & gratiis cælestibus, uberrime sæpius dotali, irrigati; hisce omnibus in sui perniciem pessime abutantur, neque solum accepta a DEO talenta per neglectum proficiendi in terra defodiunt, verum etiam irreligiose vivendo gratuitam illam portionem a Patre cælesti sibi datam, tanquam filii prodigi inique dilapidant, & absumunt. E talium Religiosorum (si tamen Religiosi dicendi sunt) numero an forte unus non sum ego?

4. Videamus anima mea semotis arbitris utrum ad mentem Apostoli (i) *digne ambulemus vocatione, qua vocati sumus, cum omni humilitate, & mansvetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Et ut cætera alio tempore considerada reservemus, reflectamus nos interim supra finem vocationis & status nostri qui est *Charitas*, eaque longe eminentior illa, ad quam solis præceptis mediantibus eniti debent sæculares. Utinam vero esset in nobis saltim talis charitas, ad qualem omnes lex obligat, ut scilicet diligamus DEUM *ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, & proximum sicut nosmet ipsos:* utinam esset talis charitas, qualis fuit omnium primis illis iisdemque beatis temporibus Christianorum, de quibus hæc habet Lucas: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una* (k).

5. Sed proh dolor! Estne in nobis o anima amor DEI, qui pro DEO nihil ardui facimus, nihil molesti patimur, cum tamen *Probatio dilectionis, exhibitio sit operis* (l) *& nihil est, quod non toleret, qui perfecte diligit* (m). Servis DEI dies noctesque non suffecerant ad amandum & laudandum DEUM, nobis una Meditationis hora tædio est! Eritne in

---

(i) *Eph. 4.* (k) *Act. 4.* (l) *Greg. h. 30. in Ev.* [m] *Orig. hom. 1. in Cant.*

me amor proximi, si ei id non faciam, quod mihi ab aliis factum vellem? Quid si præterea dolo Fratrem circumveniam? quid si ei detraham? quid si discordias disseminem? quid si fuerim auctor odii & dissensionum inter Fratres? Hoccine erit *servare unitatem spiritus in vinculo pacis*? Hoccine erit esse discipulum e schola Christi dicentis: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem*. Joan. 13.



DIE LUNÆ.

de Aberrationibus a vero Fine Status Religiosi.

Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam. Psal. 38. Hæc dixit plenus Spiritu Sancto David eodem loco, quo a Deo petijt notum sibi fieri suum finem, ut sciret quid sibi deesset ad eum consequendum: hæc eadem, si non vult delinquere, & a vero sui Status fine aberrare, dicere debet Religiosus, *dixi custodiam vias meas*, *id est certo apud me statuo virtuti & perfectioni studere*. prout explicat *de Pina* (a) Dictum est die præcedenti, in quo sita vera perfectio, & quis verus finis Religiosi, nunc, quam multi ab hoc fine devient & aberrent, id operæ pretium intueri. Longum fortassis, nec cujusvis palato arridens, sed enim plane oportunum judico transferre huc doctrinam insignis Theologi P. Concinæ, ut, quæ dicenda suscepimus tanto majus pondus habeant, quanto gravioris atque alterius a Nostro Ordine Theologi placitis sententiisque fuerint stabilita. Verba præclari in rebus moralibus Authoris sunt, quæ sequuntur.

1. Unde vero colligi poterit viros „ Religiosos „ perfectionis studio operam sincero animo impen„ dere? Forsitan ex observantia silentii, ex ora-

(a) *apud span. v. Conc.*

„ tionis assiduitate, ex sensuum, carnis & appe„ titionum compressione, ex votorum paupertatis, „ castitatis & obedientiæ executione? Profecto hæc „ omnia signa, satis probabilia sunt, at interdum „ fallacia. Hæc enim omnia hypocrisis fructus esse „ valent. Ut ille viam sibi paret ad regimen, ad „ præfecturas, ut sibi existimationem viri religiosi, „ & proprii instituti observatoris, comparet, exe„ qui præfata omnia potest, & sub sacræ Religi„ onis pallio diaboli martyr evadere. Quænam „ ergo animi aspirantis ad perfectionem Christia„ nam argumenta? Caritatis exercitia, amor erga „ omnes, patientia & tolerantia injuriarum, animi „ candor, lingvæ sinceritas, mentis docilitas, mun„ danarum rerum contemptio, politicorum respe„ ctuum proculcatio, pectoris evangelici fortitudo, „ sermones Christi, carni & sangvini hostiliter ad„ versos, palam profitendi studium, propriæ exi„ stimationis mundanæ, neglectus. Hæc sunt indi„ cia, quæ animum in perfectionis Christianæ stu„ dio percurrentem indicant. Siquidem reperiri „ media sine fine queunt. At finis consistere sine „ mediis nequit. Possunt itaque ceremoniæ & ob„ servationes votorum Constitutionum aliorumque „ rituum extrinsecus apparere veste nuptiali desti„ tutæ, & hypocrisis larva tectæ. At Caritatis „ exercitia, quæ sunt illorum finis, sine eisdem „ stare non queunt.

2. Pergit ulterius. Hinc colliges non satis pro„ prio muneri satisfacere illos Regularium Supe„ riores, qui in suis Capitulis continenter cla„ ment adversus quasdam ceremoniarum transgres„ siones & vix aliud inculcent suis subditis, quam „ silentii custodiam, chori frequentiam, jejunio„ rum & quarumdam genuflexionum observanti„ am. Laudo hæc omnia; sed illud doleo, quod „ prætermittant hortari, persvadere, & urgere ad „ caritatis exercitia. Accensa enim flamma hac in „ Religiosorum animis, cætera omnia sponte flu-

„ unt. Caritas quippe planta eſt fæcundiſſima, fru„ ctus pariens, ad æternitatem maturos. Caritas „ benigna eſt, patiens eſt, non æmulatur, non „ agit perperam, non inflatur, omnia ſuſtinet, „ omnia ſuffert, non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ „ Jesu Chriſti, non reformidat ſæculi potentiam, „ non pertimeſcit adverſariorum calumnias; ſed „ impavido pectore verbo & opere Chriſti legem „ & propriæ Profeſſionis munia exacte implet. „ Ignis iſte Cæleſtis ſemper ardet ubi adeſt, & „ flammas continenter emittit. Si arderet in Su„ periorum cordibus, dubio procul favillas ſuas „ immitteret in ſubditorum animos. Illi ergo qui „ neglecta caritatis prædicatione, ceremoniarum „ tantum obſervantiam inculcant, ipſi ſe caritate „ impleant, ut hanc in alios transfundentes, opti„ mos, ſibi ſubditos comparent.

3 Neque hic ſubſiſtit Magnus Author: Charitas, „ inquit tandem, dulciſſimo benevolentiæ fædere „ animos conjungit, efficitque cor unum & ani„ mam unam. In ea communitate in qua averſio„ nes, diſſidia, factiones contrariæ fervent; in qua „ Superiores verſutiam, vafritiem, cor duplex, lin„ guam amphibologicam, prudentiæ larva induunt, „ candore, ſinceritate, affabilitate pulſis, caritatis „ flamma certè non ardet; ſed ſpiritus mendax & „ mundanus, & ſcientia, quam S. Jacobus diabolicam „ appellat, dominatur. Si Superiores verbis lau„ dant, factis tergiverſentur, negent, ſpondeant; il„ ludant, velificentur, adverſentur, prout temporum „ rationes ferunt, inter ſubditos & ipſos Superiores, „ deprehenſa illorum vafritia, nulla ſinceritas, nullus „ animi candor, caritas nulla viget. Sed e contra „ murmura, diſſidia, averſiones, & perpetua bella „ graſſantur. Superiores qui aperto animo, ſincero „ corde, ingenua lingva ſubditos colligunt & ample„ ctuntur, illos ſibi devinciunt, obligantque illo ipſo „ tempore, quo favores denegant, dum impertiri fal-

va lege nequeunt Hactenus magni nominis Theologus in Differtat. de Statu Religioso, quæ habetur operum suorum *Bononiæ* Anno 1762. impress: *Tomo* 1.

DIE MARTIS.

De Miseriis seu Ruinis & Religiosorum.

Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii! Thren: c. 4, Ità quondam lamentabatur Jeremias super miserum statum sui Regni & sanctæ civitatis Ierusalem; ità deflenda est ruina Religionum & Religiosorum nostri temporis, si cum suis primordiis, ac primis, iisdemque Sanctissimis Patribus, conferantur. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color* (dicam ego *calor*) *optimus!* Quomodo inquam defecit primæva illa charitas, auro ignito in Apocalipsi (a) comparata: *nescis, quia tu es miser, & miserabilis & pauper-suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum ut locuples fias.* Quomodo intepuit primævus ille Religionum fervor: *scio opera tua: quia neque frigidus es, neque calidus* (b) Quid si redirent ad nos Magni illi Antonii, Pachomii, & cæteri Religiosorum Ordinum Patres ac Auctores, agnoscerentne nos vel ex facie esse sui sequaces ac Viros verè Religiosos? quid, si prætarea interna nostra, candorem animi & intentionis puritatem, qua Religionis munia exercemus, considerare vellent? *Væ nobis, quia solum nomen vacuum Religionis tonsuram & habitum gestamus!* Jta misc-

(a) *Apoc. c. 3. v. 17.* (b) *Apoc. c. 3. v. 15.*

miserum Religiosorum adhuc sui temporis statum deplorabat S. Thomas a Villa Nova. Quomodo hic, quomodo cæteri longè illo antiquiores nostrum præsentem complorarent?

2, Et unde hæc Religionum ruina, unde miser Religiosorum status? *dispersi* nimirum *sunt lapides sanctuarii* Causa prima ruinæ est, quod sublati sunt lapides angulares, petræ illæ fundamentales, quibus ipsummet Sanctuarium, omnis inquam Religiosæ perfectionis, sanctitatis ac observantiæ structura nitebatur. Sublati sunt, primi illi Religiosarum Legum Conditores, earumque observantissimi Patres, primi illi minimè degeneres a Patribus Filii, quibus longo sæculorum lapsu successit simul cum sæculis longè remissior in fervore spiritûs propago. atque id cum Regulari observantia factum, quod in aliis plerumque rebus, igne præsertim, extenuante sese natura, usuvenire observamus. Neque mirum id evenisse, grassante imprimis circa annum *Millesimum, Trecentesimum. Quadragesimum octavum* sævissima illa peste, quæ vix decem, & alicubi vix quinque e centum hominibus reliquit in vivis superstites, prout perhibent Religiosorum Ordinum Chronica ad hunc annum, ipsique Annales Ecclesiastici. (c) Quas deindè non fecit strages triste plurium regnorum fatum, & impunè serpentium hæresum effrænata semper licentia impiaque in personas DEO dicatas crudelitas?

3 Non destitit quidem cælestis ille Paterfamilias novos semper in vineam suam mittere operarios, & ut providus universi Architectus collabentes Religiosorum Ordines jam a fundamentis instaurare, jam solidis fulcire columnis, viris scilicet Apostolicis, qui ruentem sanctuarii molem forti humero sustinerent. Sed ubi hi, per naturæ leges succumbunt fato, rursus ædes labefactari, & ruinam minari incipiunt. Multa sanè recenseri solent, quæ ad hancce ruinam

O

(c) *Odericus Raynaldus T. 16. ad An: 1348. num: 30.*

faciunt ac diſponunt, nobis pauca tetigiſſe ſufficiat, ſuntque hæc.

I. Defectus in perſonarum delectu, dummodo Fratrum numerus impleatur ; ac ſi veró difficile foret DEO ſic augere Religioſorum numerum in quolibet Ordine ſuas leges exactè obſarvantem, prout multùm hac de re ſolicitos in ſui primordio Ciſtercienſes auxit quondam in Claravalle, ſolo Bernardo in Ciſtercium deſtinato, Non examinantur vocationis motiva, vires & dotes ad Religioſum Statum neceſſariæ ; fit proinde, *ut multiplicata gente non multiplicetur lætitia*, quin potius plures Benonii id eſt *filii doloris* naſcantur Matri Religioni, quæ ſi nunquam eos genuiſſet, felicior longè extitiſſet.

II. Malè jactum in Probationis anno, Religioſæ vitæ fundamentum : prima illa tenerioris plantæ ad veram humilitatem, paſſionum mortificationem, patientiam, candorem animi, intentionis puritatem, tentationum victoriam, Charitatem, aliaſque ſolidas virtutes inflexio neglecta. Inſtitutio aut a Magiſtris necdum ipſis benè fundatis in ſpiritu, minuſvè expertis, & in Theologia myſtica peregrinis, adhita, aut ſolis rebus extrinſecis, puta Rubricis, Ceremoniis, conſvetudinibus, quaſi hæc ſola & non potius interna, baſes atque cardines eſſent, innixa.


III. Poſt egreſſum e Domo Tyrocinii aut nulla ad literarum ſtudia applicatio, conſequenter, otium, in legendo tædium, rerumque ad profectum ſpiritualem ſpectantium ſumma inſcitia ; aut nimia in ſtudiis immerſio cum omiſſione Orationis mentalis, Lectionis ſpiritualis, Examinum conſcientiæ, & cum minori advertentia ad res animæ, quarum cura prima atque omnium præcipua eſſe debet.

IV. Emenſis Litterarum ſtudiis honeſtus, ut ajunt, ambitus docendi, prædicandi, ſed cum prava intentione, evadendi ſcilicet ad altiora, obtinendi prælaturas, & eccè jam tranſgreſſio Voti in affectu. tum ſubinde etiam in effectu, & poſt hæc exemptiones, æmula-

tiones, contentiones; divisiones, odia atque inimicitiæ perpetuæ cum evidenti salutis propriæ periculo, & cum scandalo cæterorum.

V. Tandem Exercitiorum spiritualium intermissio, frequens extra Conventum cum dispendio temporis evagatio, ad negotia exteriora nimia sui ipsius effusio, liberrima absque licentia Superiorum cum sæcularibus communicatio, illicita peculii collectio, Legum denique sub culpa non obligantium continua transgressio, ne dicam vilipensio, contra quam ita D. Bernardus: *Nemo dicat in corde suo: Levia sunt ista non curo corrigere: non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis, Hæc est enim dilectissimi impœnitentia: hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis.* Hactenus Mellifluus ser: in Convers: S Pauli.

Qui plura de miseris Religionum Religiosorumque ruinis, & contra illas Remediis legere desiderat, adeat Lezanam, Peyrinum, Sanchez, Nigronium, Dierkens, Pawłowski &c.



DIE MERCURII.

De Mediis perveniendi ad finem, seu de Votis, & imprimis de Voto Obedientiæ.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Vota mea Domino reddam coram omni populo Ejus: Psal: 115.

1. Gratitudo illa DEO pro tot Ejus in nos beneficiis & præcipuè pro insigni illo Vocationis ad statum Religiosum debita, nequit a nobis præstantiori quopiam alio testari & exhiberi obsequio, quàm nuncupatione votorum solemnium . quæ fiunt in facie Ecclesiæ, seu ut loquitur Psaltes, *coram omni populo*

ejus. Porro ex omnibus Religionis Votis primum ſibi locum vendicat apud omnes Obedientia ſeu oblatio propriæ voluntatis DEO facta, quæ eſt *omnium origo materque virtutum* juxta S. Auguſtinum; *via Regia* ut ait S. Vincentius Ferrer: *via brevis & compendiaria*, ut inquit S. Philippus Nerius: *via brevis & facilis*, ut loquitur S. Thereſſia, *perveniendi citó ad ſublimem perfectionem*, via denique magis ſecura, magis DEO grata, magiſque ſalutis æternæ meritoria, quam ſit via pænitentiæ, contemplationis & quævis alia, voluntate propria ſuſcepta, prout docent iidem Vincentius, Philippus & S. Catharina Bononienſis, multique alii, præeuntibus in ea ſententia omnibus Religioſarum Legum Conditoribus & antiquis illis Solitariis, apud quos obedientia *præcipua & prima virtus* teſte Severo Sulpitio *dicebatur*, ac etiamnum *plenitudo legis cœnobiticæ* creditur, apud eos præſertim Religioſos, qui ſolum Obedientiæ votum, tanquam cætera in ſe implicitè continens, verbis claris atque diſertis appromittunt.

2 S, Ioannes Climacus obedientiam *navigationem tutam, confectum dormiendo iter* vocitat. (a) At veró Doctor Seraphicus (b) eam aſſimilat navi velificanti, in qua ſivè vigiles, ſivè dormias, ſivè jejunes, ſivè comedas, ſivè obambules, ſivè quieſcas, ſemper DEO & paradiſo appropinquas. Hinc eſt, quod vera Obedientia unum ex magis certis Prædeſtinationis ſignis ſtatuatur ea potiſſimum ultrà plures alias, de cauſa, quód non jam vero obedienti, ſed ejus Patri, ſeu Prælato, incumbat reddenda pro eo ratio coram DEO, prout docet idem Climacus, revelatumque fuit S. Catharinæ. *Lohner Tit: Obed:* § 9. *n.* 10,

3 Ratio ulterior hujuſce inter vota primatûs eſt, quod per Obedientiam offeramus DEO Sacrificium (imo phraſi D. Philippi Nerii *verum in ara cordis noſtri litemus holocauſtum*) cæteris longè nobilius, præſtan-

(a) *Scala parad: grad:* 4. (b) *Ruin in Octavar: S. Philip: Ner:*

tius, DEOque gratius, eò quod per obedientiam offeratur nobilissima animæ nostræ potentia, voluntas scilicet liberrima; ubi per alia vota offeruntur cætera voluntate inferiora, puta per castitatem corpus seu ejus licita oblectamenta, per Paupertatem bona fortunæ, seu terrenæ divitiæ, & apud nos per Humilitatem bona honoris, seu propria excellentia & aptitudo ad quasvis dignitates. Huc accedit quod per Obedientiam perfectam exerceantur tres Virtutes Theologicæ in gradu heroico & excellenti 1. *Fides*, qua firmiter creditur Authoritas DEI residens in sui vicaria potestate nos dirigente, 2. *Spes*, qua certò confidimus in bonitate Divina nos mediantibus sui locum tenentibûs viâ secura ad terminum atque bravium beatitudinis æternæ deducere volente. 3. *Charitas*, qua ob purum DEI amorem significamus DEO id, quod ex omnibus bonis naturalibus habemus pretiosissimum & charissimum, propriam scilicet voluntatem. Vid: *Exercit: P. Bourdaloue, die* 6. *Med.* 2.

4. Dictum manet exerceri hasce Virtutes per Obedientiam *perfectam* seu *Exactam* ad quam Conditiones quatuor requirunt Sacri Doctores (c) 1. Ut sit prompta executio ejus, quod præcipitur. 2. Ut interior voluntas accedat executioni externæ, 3. ut subditus proprium judicium in re dubia aut controversa submittat judicio Superioris. 4. Cognita Superioris voluntate non est expectandum præceptum, sed implendum est, quod Superior cupit. His quatuor requisitis haud contenti, septem usque obedientiæ gradus astruunt multi ex perfecto Monasticæ Vitæ Magistro D. Bernardo Ser: 41, inter diversos, suntque sequentes 1. Obedire *libenter*, id est sine contradictione. 2 Obtemperare *simpliciter*, id est sine simulatione. 3. Obedire *hilariter*, id est sine murmuratione. 4. Obsecundare *velociter*, id est sine dilatione. 5. Adimplere *viriliter*, id est sine animi dejectione: 6. Obe-

---

(c) *Apud Concin: de Stat: Relig.*

re *humiliter*, id eſt ſine animi elatione. 7 Obtemperere *indeſinenter* id eſt ſine ceſſatione. Textus ipſos habes in fonte, eorumque explicationem in *Exercitiis Religioſi Clauſtralis Profeſſi*, quorum Author cenſetur *Fulgent.* Ea porro quæ perfectam obedientiam juvant, ſex aſſignantur, 1. Humilitas flectens. 2. Conſvetudo frequens. 3. Dilectio fervens. 4. Affectus terrena contemnens, 5. Gratia interius ungens. 6. Prælatus modeſtè præcipiens, quod ultimum ſvadet etiam S. Philippus Nerius.

5 Innumera prorſus ſunt utriusque paginæ ſacræ Sanctorumque Patrum teſtimonia atque exempla videnda apud Houdry, Lohner &c. quibus, præ aliis virtutibus, quin & præ ipſo Vet: Leg: ſacrificio, Obedientia (quæ etiam dicitur Martyrium, amputans caput propriæ voluntatis) commendatur; loquuntur palam & ubique Acta Sanctorum, quanti eam (duce ipſomet Salvatore noſtro, qui deſcendit de cælo non ut faceret voluntatem ſuam, ſed voluntatem patris) fecerint omnes ſervi DEI, tantò utique ſanctiores, quantó magis obedientes DEO, vel homini propter DEUM. Duo nobis admirabilis ejus pretii exempla ſunto, alterum de S. Anſelmo *Cantuarienſi*, & de N. B. Simone *de Roxhas* alterum. Horum primus, quantumvis Archi-Epiſcopus, a nutu ſui Capellani ſibi eum in finem per ſummum Pontificem deſignati pendebat in omnibus etiam minimis. (d) Alter in actuali Miniſtri Provincialis officio conſtitutus, cum in Hiſpaniis ſe Superiorem haberet neminem. obtinuit a Generali Miniſtro (is tum fuerat Ludóvicus Petit Gallus, ſuus quondam in Religioſa palæſtra diſcipulus) ſecretum quemdam monitorem, cui ut ſuo Superiori præcommiſſa fuit plena authoritas ac poteſtas Simonem ad ejus arbitrium ſponte ſe ſubmittentem non ſolum monendi, corrigendi, verum etiam in omnes illius defectus

(d) *P. Sault Reſt: T. 2.*

animadvertendi, exemplô vix forsitan, ut inquit Author, observato. (e)

6 Tantus scilicet cordi SS. Virorum inhæserat amor S. Obedientiæ illiusque meriti, quod quale quantumque sit, colligere liceat vel ex eo, quod Obedientia ab Augustino dicatur *plus valere, quam omnes virtutes*, imo Theodorus Studita hanc in ea securitatem reponit, ut asserere non dubitet *obedientibus licere esse imperfectos*, & citatus Climacus eam vocet *securum periculum*, in quo tamen tenenda est Bernardi sententia: *Ipsum, quem pro DEO habemus, tanquam DEUM in his quæ apertè non sunt contrà DEUM, audire debemus.* (f) Huc accedit quod perpetuum Obedientiæ in vita exercitium magnam vero obedienti adferat in morte lætitiam, nec minorem salutis æternæ securitatem. Expertus id utrumque frater S. Bernardi Gerardus morti vicinus, qui cum in spiritu ad Tribunal Christi raptus esset, post triduum ad se reversus, exclamavit- *Bona est obedientia! animas Sanctorum vidi, Christumque mihi dicentem audivi: ecce locus tuus inter fratres tuos.* (g)

7 Coronidis ergo sit Doctrina Theologica P. Concinæ (h) Superiores jure præcipere valent ea omnia „ que intra confinia regulæ & Constitutionum „ continentur vel ad regulæ & Religionis con„ servationem & decorem indirectè etiam condu„ cunt. Queunt etiam Prælati ea vetare, quæ ten„ dunt ad proprias leges violandas, & alia jubere „ quæ graviter expediunt Regulæ & Constitutionum „ observationi. Porro in re dubia parere subditus „ tenetur Superiori præcipienti, quia possessio stat „ pro Superiore, & subditus non est legitimus ju„ dex num id quod Prælatus jubet, sit contrà vel „ supra Regulam.

(e) *Jul: Cordarain Vit: Cap:* 25. (f) *Tract: de Præcept: & Dispens:* (g) *Lohner,* (h) *Lohner* (h) *Dissert, de Statu Relig:*

8 Addit idem. Graviter Regulares peccant, vel ,, dum præceptum Superioris implere recuſant, vel ,, dum ejuſdem vocem contemnunt, vel dum refor- ,, manti; abuſus & corruptelas invectas contra Re- ,, gulam & Conſtitutiones, reſiſtunt. Peccant ve- ,, nialiter ſi ea executioni demandare negligant, ,, quæ ſciunt a Superiore præſcribi, quamvis non ,, ſub præcepto. ut dum inculcant obſervantiam Re- ,, gulæ & Conſtitutionum, Et licet Conſtitutiones ,, natura ſua ad culpam non obligent, reipſa tamen ,, nunquam deliberate violantur ſine aliqua veniali ,, culpa, qui vero ex habitu & conſvetudine eas ,, indeſcriminatim transgrediuntur, ad tacitum con- ,,temptum ſeſe diſponunt, & contra præceptum aſpi- ,, randi ad perfectionem peccant.

DIE JOVIS

De Voto Caſtitatis.

Cum voveris Domino DEO tuo non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus DEUS tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Deuter. 23.

1 Omnium quidem trangreſſionem Votorum requiret in Judicio a Religioſis Dominus, ſed enim cæleſtis ille ſponſus animarum, idemque Judex noſter zelabit potiſſimum pro violatione datæ atque juratæ ſibi fidei per Votum Caſtitatis, quod eſt *promiſſio abſtinendi ſe perpetuò ab omni actu venereo tam interno, quam externo.* In trangreſſione aliorum Votorum poteſt dari. quod culpam diminuat aut levet, puta in adimplendo mandato ingens aliqua difficultas, Superioris jubentis præcipitantia, ruſticitas. imprudentia, aut jurium Eccleſiæ. legumque ſui Ordinis inſcitia &c, in obſervanda paupertate, materiæ parvitas, vera aliqua rerum quó ad victum, amictum. & medici-

nas necessariarum indigentia, Conventus magna pauperies, aut nimia Superioris parcitas, tenacitas, indiscretio &c. At vero in materia Castitatis, nullus patet excusationi locus, nihil est, quod opponi possit, non materiæ parvitas hinc proscripta per omnes Theologos: non tentatio vehemens, cum nulla sit. quæ juvante Deo, enixis precibus in suppetias evocato vinci nequeat: non corruptæ naturæ fragilitas, si Divinæ Gratiæ auxilium humiliter imploretur: non denique sanitatis prætextus, cum e contra libido inquam maxime obsit valetudini, vitam abbreviet, inducatque infirmitates pessimas incurabiles. verbo nihil. quod a gravissima sacrilegii pæna hominem tali voto obstrictum, & multó magis in Sacris Ordinibus constitutum, præsertim autem, si insuper (sed proh? pudor & scelus maximum, nequidem flammis inferni tota æternitate expurgandum) ad apicem Sacerdotii evectum, liberum faciat, ac immunem. Vitium quodlibet Castitati oppositum etiam Paganis Philosophis. tanquam brutale, & homine rationali indignum, exosum semper fuit; & ex adverso Castitas in Vestalibus eorum Virginibus summo semper in honore habita, duobusque stipata Lictoribus, ne quæ forte illarum Viraginum ab aliquo tangeretur. *Plautus l. 2. c. ult.*

Quamvis autem Religiosorum castitas Physicé quó ad rem spectata in seipsa non discreparet a Castitate Paganorum, differt tamen, totoque cælo distat in motivis, si ea ab utraque parte expendantur, Paganorum enim uti etiam quorumlibet Politicorum ad solam morum honestatem vel sanitatem corporis intentorum, motiva, naturæ rationalis limitibus continentur. ut sunt temperamenti frigiditas, mens tota immersa in literis, amor vitæ diuturnioris, mundities corporis, pudor, pax. tranquillitas interna simul & externa: at veró Religiosorum Castitas nititur motivis longè sublimioribus ac propemodum Angelicis, iisque bene multis, qualia sunt: Amor, ac mystica, eaque intima unio cum DEO, Eidem semper placendi, libe-

riùs purius ac sanctis inserviendi studium; Imitatio, quanta quanta est possibilis, puritatis Divinæ, humanæ naturæ Christi, illius Purissimæ Matris Virginis, Beatorum Spirituum, omniumque sequentium Agnum sine macula, Sacrificium mentis & corporis DEO summè gratum, ac denique præparatio Templi, dignissimi habitaculi tum Christo sub Eucharisticis speciebus sæpius advenitanti. tum etiam Spiritu Sancto puras mentes inhabitanti juxtà effatum clarissimæ Martyris Luciæ: *Caste & piè viventes templum sunt Spiritus Sancti.* Brev: Rom.

3. Multa sane præsidia sunt, quæ ad tutandum hoc cæleste lilium a Patribus atque Vitæ Spiritualis Magistris adferri solent; ex illis quædam præcipua magisque proficua Religiosæ juventuti a teneris, ut credimus; annis caste & pie in timore Dei institutis ad memoriam revocabimus. Primum igitur hi, qui florem Virginitatis illibatum retinent, eam gratiam conservatori Deo, purissimæ Virgini Matri, suoque Angelo Tutelari habeant in acceptis, nihil quidquam viribus propriis attribuant. illis non fidant; humilitati, devotioni, mortificationi internæ pariter & externæ summopere studeant, neque unquam, si cadere nolunt, de aliis male suspicentur, Ii porro, qui eum florem amiserunt, vehementer doleant, serio pæniteant, felicem, quo exciderunt, statum non aliter, nisi in spiritu humilitatis & animo contrito recogitent, de lapsu in Tribunali sacro frequenter, diebus præsertim illis, quibus annexæ plenariæ Indulgentiæ, sese accusent, ac deinceps cautius incedant.

4. Tam hi, quam illi, Timorem inscrutabilium Judiciorum Dei omnia videntis, ubique præsentis, & pro unico interduum peccato æternum condemnantis. suaque impuris auxilia subtrahentis, præ oculis habeant. Sensuum custodiam, Visus præsertim & Tactus summam adhibeant. Occasiones omnes, quantumvis remotæ videantur, otium præ-

cipue, tanquam *pulvinar diaboli*, omniumque malorum originem somnolentiam, intemperantiam, conversationem cum diverso sexu, quin etiam strictam familiaritatem & jocum cum blandulis tenerioris ætatis juvenibus, omnemque sensualitatem diligenter vitent. Tentationes quaslibet suo Magistro, vel uni eidem, quo ad fieri poterit, docto ac pio Confessario sincere aperiant. Orationi præsertim Mentali, Considerationi æternitatis, mortis, judicii aliorumque Novissimorum in singulos saltem dies, imo etiam in horas singulas, ad earum sonum, insistant. Conscientiam rite examinent, & in fontes suarum tentationum sedulo inquirant. Cultui Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, Vulnerum Christi, nec non Virginis immaculatæ, ejusdem castissimi Sponsi S. Josephi, S. Joannis Evangelistæ, aliorumque similium Patronorum donatorum cingulo Castitatis (qualem gratiam ope Virginis Sanctissimæ obtinuerat Noster B. Simon) uti etiam Angeli Custodis, specialiter sint addicti. Corpus vigiliis, jejuniis, ciliciis, aliisque asperitatum generibus, de consilio atque assensu Magistri, seu stabilis Confessarii assumendis, tanquam hostem infensissimum bella perpetue tacite machinantem imperio rationis & auxiliis gratiæ subdant. Actibus heroicis evigilando e somno, levando se de strato, inque alis satis frequentibus ad mensam & alibi occasionibus assvescant. Consvetudinesad tuitionem Castitatis præscriptas Novitiis retineant. ac denique Librorum practicè & solidè spiritualium Lectioni, eleganti eorum descriptioni, studiisque ætati suæ congruis ac per legem Ordinis suorumque Superiorum mandatum injunctis, exactissimam dent operam, præeunte ea in re Divo Hieronymo lingvam omnium difficillimam Hæbræam scilicet vincendarnm tentationum ergó discente & dicente: *Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.*

5 Sed cum omnes infirmi simus & lutea vasa portemus, nulla ætas imo neque diuturna sanctitas, tragico Salomonis & quorumdam solitariorum fato admonente, secura a carnis illecebris esse possit, etiam Viri provectæ ætatis hisce præsidiis opus habent, ne forsitan prementibus rugis id amittant, quod in juventa conservârunt. Salomon Regum omnium sapientissimus, idemque æquus, rerum judex, quam tandem ipse pro sceleribus ob carnis illecebras perpetratis sententiam subierit, res necdum per sanctos Patres Sacræque Scripturæ Interpretes definita, & nonnisi in supremo illo Decretorio die manifestanda. Hunc diem ut præcipuum contra carnis peccata remedium supponitur Job semper præ oculis habuisse, postquam enim c. 31. dixisset: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine*, seque immunem a cæteris carnis peccatis declarasset, subjunxit: *Quid enim faciam cum surrexerit ad judicandum DEUS? & cum quæsierit, quid respondebo illi?*

6 Juvabit hic annectere Fragmenta quædam supradicti Theologi P. Concinæ. „ Aspectus venereus & „ sola deliberata delectatio luxuriosa æquè Christia„ num ac Religiosum virum in infernum detrudunt, „ sola circumstantiæ sacrilegæ diversitate. Sacerdo„ tes peccantes contra hoc votum augent malitiam „ ob duplicem titulum seu vinculum, quo Sacerdo„ tes obstringuntur, castitati servandæ. Concionato„ res & Confessarii præsertim vigiles sint oportet. „ Hi quippè ratione ministerii frequenter fæminas „ alloquuntur, A colloquiis spiritualibus initium „ ducitur ; at nisi cautela summa adhibeatur, „ omnia in carnem desinunt. Confessarij habent „ suas filias spirituales, quibus cum familiares „ sermones texunt, Halitus ille Virginalis, simul„ que fæmineus, calida illa suspiria, & familiaritas „ paternitatis spiritualis cum filia spirituali fugien„ da sunt tanquam sibilus basilisci. Tractandæ fæ„ minæ sunt non secus ac si personæ lue inquinatæ

„ spirituale alimentum porrigatur, & continuo separatio succedat, alioquin pestis luxuriæ sua veneficia immittit. *Dissert. de statu Religioso.*

DIE VENERIS.

De Voto Paupertatis.

Vovete & reddite Domino DEO vestro omnes, qui in circuitu Ejus affertis munera Psal: 78.

Quid proderit vovere DEO paupertatem, si ea non servetur? indè est, quod dicit Scriptura: *Vovete & reddite*, enimveró *melius est non vovere, quam post votum non reddere* (a) Paupertas Evangelica voluntaria duce ipsomet salvatore nostro, *propter nos egenus factus est, cum esset dives* (b) cœpit mox ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis perhibente id nobis Luca in Actibus Apostolorum cap: 2 *omnes qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia Possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Qua in re sequebantur consilium Christi datum juveni Math: 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes & da pauperibus.* In quæ verba sic Hieronymus: *Consideremus,* inquit, *quam sapienter sapientia sic loquuta. Vende que habes. Cui ista præcipiuntur? Nempe illi cui dictum est: Si vis esse perfectus.* Hanc primorum Christianorum Paupertatem nexu quodam indissolubili cum fine Religiosorum, Charitate scilicet conjunctam adhuc clarius in iisdem Actibus describit Sacer Historicus *Multitudinis autem credentium* (utinam a fortiori omnium Religiosum Statum profitentium) *erat cor unum & anima una: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat* (en undè desumpta est Constitutio nostra Cap: 1. §. 3. n. 2.) *sed erant illis*

(a) *Eccles:* 5. (b) 2. *Cor:* 8.

omnia communia. Neque quisquam egens erat inter illos.-- Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.

2. Propagata lapsu temporis Ecclesiâ, prædicta bonorum communitas manavit ad solos Religiosos, illisque etiamnum adeo necessaria est, ut hac sublata, ipsa etiam Religio, quantum ad sui disciplinam corruat, oportet. Enimverò Professio vitæ Regularis ad paupertatem quod attinet, contractus mutuus est, vi cujus profitens omnia bona præsentia & futura, quæ habet & habere posset, solemni ritu Religioni cedit; Religio pariter eodem sacro vinculo se astringit ad providendum illi, tam sano, quam infirmo, de omnibus ad victum, vestitum, & conservandam valetudinem necessariis; quód si de his per infelices aliquos Superiores non providerit, miser ille Religiosus, per jus naturæ antecedens illum contractum, debebit eumdem rescindere, & contrà votum tam obedientiæ quàm paupertatis, quærere modos & media ad ea aliundé habenda, quibus verè ac necessarió ad sui victum, amictum, & arcendam mortem opus habet. Quo posito, rescisso videlicet contractu, & sublatis duobus essentialibus Religionis Votis, tanquam præcipuis fundamentis, nonnè evidens est, sequi Ruinam Religionis?

3 Expendant hæc *Materiales* illi ut ita dicam Superiores (neq; enim Patres *spirituales* dici possunt) qui aliquo temporalis boni prætextu Religiosis denegant necessaria, & dum augendo peculio, aut fabricæ promovendæ student, Religionis fundamenta subrruunt, quasi veró materialibus & non potiùs spiritualibus fundamentis Religio quælibet niteretur. Revocent in mentem id, quod annis singulis Feria sexta infra Hebdomadam Passionis legunt apud Augustinum de Judæis pro conservatione sui loci & regni impiè solicitis ita scribentem: *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt,* (c)

(c) *Tract: 48. in Joan:*

Cui bono proderunt illæ ſtructuræ magnificæ, illæ picturæ ſumptuoſæ, illa ſacraria ingenti ſupellectili proviſa, illæ ipſæ Bibliothecæ quamvis adeó neceſſariæ ſuperbè inſtructæ, ſi deſint probi & docti Religioſi, qui eos parietes ſanctimonia ac ſcientiæ claritate exornent, qui grati in oculis DEI decorem Domus Ejus exemplari vita ſuſtentent & conſervent, qui populum pietate vera non fucata, doctrina ſana ac perutili ad ſervitium DEI efforment, atque ad poſſeſſionem cæleſtis illius Jeruſalem unà ſecum feliciter deducant, Tales autem procul omni dubio deerunt, niſi diligenti Superiorum curâ ac vigilantiâ proviſum fuerit, ne ſubditi ſint *ſoliciti dicentes; quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur.* (d)

4. Obviaverunt huic malo Sanctiſſimi Legislatores Noſtri, dum omnibus indiſcriminatim Fratribus *eundem victum, veſtitum, eandemque menſam* in Regula præſcripſerunt, & ne forte Superiores ea in re ſuo deeſſent officio, punctum hoc in eamdem Regulam cap: 6. congeſſerunt. *Omnibus fratribus ſuis ſicut ſibimet Miniſter fideliter adminiſtret.* At veró poſteriores Regulæ Interpretes & Conſtitutionum Auctores, cùm alias benè multas, tùm etiam Canonicam *Suſpenſionis* pænam fulmen illud, oppignoratam in Profeſſione ex parte Religionis fidem non ſolventibus jure debitum contra Superiores in Infirmorum cura deficientes evibrarunt. Conferant hæc omnia Superiores cum decretis Sacræ Synodi Tridentinæ. cumque tot ac tantis Summorum Pontificum pro Reformatione Regularium ſanctionibus, exactam *vitam communem* abſque ullo prorſus diſcrimine ſerio demandantium, & ſi ad eam ſartam, tectam conſervandam ne quidem his moventur, moveantur ſaltim certiſſimo damnationis æternæ periculo in tremendo judicio DEI, ſubeundo, nam *judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* Sap: 9. Et hæc quidem de Superioribus.

(d) *Math:* 6.

5. Jam quod ſpectat probum ſubditum Religioſum, illius partes ſunt non ſolum ea, quæ Sacris Canonibus, Decretis Summorum Pontificum, Legibùsque ordinis caventur diligenter obſervare, ne ſcilicet Proprietariorum pænam in ſæculo, & æternam damnationem ſubeat in Inferno; verúm etiam rebus ipſis per legem permiſſis nullatenus affici, ſi meritum ſanctæ paupertatis conſequi velit. Transgreſſio Voti paupertatis longè facilius, quàm duorum præcedentium, ſub variis ſpecioſis titulis, ſeſe inſinuat, lentè ſerpit, & ſenſim quaſi ſine ſenſu pertrahit in gehennam. O! quot ibi inveniremus proprietarios, ſi daretur copia videndi damnatos hac de cauſa. Non omnis res, qua indigere nos putamus, eſt verè neceſſaria. neque omnis licentia præſumpta, eſt ſemper licentia vera, his autem duobus deficientibus, quâm lata pateat via ad interitum, nemo non videt. Rem optimé judicavit ille, qui dixit: *Naturam eſſe paucis contentam*. ſed enim ſenſualis ille appetitus exſatiari nunquam poteſt. Quæruntur ín victu cupedíæ, quales fortè non haberentur in ſæculo; in veſtitu non ea quæ debitæ honeſtatis, ſed quæ vanæ curioſitatis ſunt, quin attendatur ad dicta Vener. Patris N. Joannis: *Viro pœnitenti ſatis eſt, quod manducet. Et Habitus ſufficit talis, qualem exigit ſepultura* (e) O quam multa ad lumen candelæ Benedictæ videbuntur fuiſſe ſuperflua, quæ nunc apparent neceſſaria. Quod ſi hujus candelæ memoriam Religioſi præ oculis haberent, nunquam mortis æternæ caliginem paterentur.

Theologicæ in hac materia Lectionis avidi relegantur ad P. Concinam de Diſciplina Monaſtica & de Statu Religioſo; ubi inter multa etiam hæc habet: *Non ob paupertatem, ſed ob divitias Religiones omnes naufragium*

(e) *Ex Proceſſ: Beatific.*

gium passæ sunt. Ea vero, quæ ascesim redolent, suggeret fetor ille Proprietarii, dequo in Vita N. B. Simonis conscripta a P. Cordara Cap. 5.

SABBATHO

De Voto Humilitatis seu non ambiendi.

TRia sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter. Prov. 30.

Tria plerumque in aliis Religionibus solemnia vota, Obedientiæ scilicet, Castitatis & Paupertatis nuncupantur, nos tribus illis superaddimus etiam quartum *Humilitatis*, seu *non ambiendi* directè vel indirectè, per nos aut per alios, tam intra, quam extra Religionem nostram, honores, dignitates, prælationes, quin & officia quædam legibûs nostris circumscripta. Ista sunt quatuor capita, in quæ dividitur fluvius irrigans mystycum Religionis nostræ paradisum (a) Hi sunt quatuor anguli spiritualis nostri ædificii, quibûs (avertat id misericordissimus Deus) concussis, rueret totum ædificium, prout iîs concussis corruit domus Job, oppressitque liberos ejus (b) Hi sunt quatuor annuli aurei & quatuor columnæ de imputribilibus lignis *Setim* innixæ basibus argenteis, (c) quibus tota legum nostrarum structura, quasi quædam Testamenti Arca sustentatur. Hi sunt quatuor gemmarum ordines, quibus rationabile obsequium nostrum, seu Votum Deo exhibitum, quasi illud Sacerdotum veteris Legis *Rationale* oxornatur (d) Hæ sunt illæ quatuor Ezechielis rotæ, in quibus

(a) *Gen.* 2. (b) *Job.* 1. (c) *Exod.* 36. (d) *Exod.* 39.

est' Spiritus vitæ nostræ Religiosæ (e) & quibus simul omnibus fervore spiritûs agitatis, non secus ac ignita Eliæ quadriga (f) in cælum devehi est necesse. Faxit Deus T. O. M. ut his nostris quatuor rotis id est votis possint semper applicari illa S. Scripturæ verba: *Tria sunt, quæ benè gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter*.

2. Sivè commune Religionis bonum, sivè privatam Superiorum æquè ac Subditorum utilitatem consideres, nullum fortassis quartum Votum, hoccé Nostro *Humilitatis* magis sanctum ac necessarium deprehendes, dummodo ne mente quidem violetur. *Locus superior* inquit S. Augustinus (g) *sine quo populus regi non potest, & si ita administretur, ut decet, tamen indecenter* (apud nos vero illicite & sacrilege) *appetitur*. Felicia erant illa Ecclesiæ tempora, felices Diæceses, Religiones, Conventus, quibus Gregorii, Ambrosii, Bernardi, sexcentique & milleni alii, non solum sincere honorem detractantes, sed etiam multas industrias ad eum vitandum adhibentes præficiebantur. Modo proh dolor! *cuncti volumus esse duces, cuncti cum authoritate, cuncti cum imperio, cuncti reprehendere, cuncti præcipere*, prout invehitur S. Ephræm contra ambientes. Non cogitant homines ejusmodi id, quod scripsit S. Bernardus suo antea discipulo, tum vero jam Summo Pontifici Eugenio: *Considero gradum tuum, & casum vereor; attendo celsitudinem honoris, & periculum reformido: altiorem locum sortitus es, sed non tutiorem* (h) Non advertant ad eam horribilem sententiam D. Chrysostomi: *Miror, an fieri possit, ut aliquis ex Rectoribus sit salvus* (i) Quid si audissent Sanctissimum illum Pontificem Pium V. ita de se dicere solitum: *Quamdiu fui Religiosus*,

---

(e) *Ezech.* 10. (f) 4. *Reg.* 2. (g) *l.* 19 *de Civit.* *c.* 19. (h) *Ep.* 237. (i) *Hom.* 34.

habui magnam spem salutis, factus subinde Cardinalis, incepi metuere; evectus ad Pontificatum cœpi penè desperare. CORN. A. LAP. IN APOC. c. 3.

3. Scribit Author *Theatri Politici C. 5.* ex Petro Blesensi de Galfrido, Viro doctrina & sanctitate conspicuo, quod cum is in Episcopum Tornacensem elatus, huic suæ electioni nullatenus acquievisset, tandem posteà vita functus, atque fratri cuidam apparens,, ab eodem de statu animæ suæ interrogatus responderit: *Revelavit mihi Trinitas sancta, quod si suscepissem Episcopatum, fuissem de numero, reproborum.* Notemus varba, signemus mysteria: si sola spontanea oblatæ dignitatis acceptatio exclusisset Galfridum à cælesti gloria, quid dicendum de honorum ambitu præsertim a Religiosis contrario votô obstrictis? de ambitu inquam tot S. Scripturæ oraculis, tot tantisque SS. Patrum testimoniis, quid & ipsius Salvatoris nostri jam regnum fugientis, jam humilitatem commendantis, jam subortam inter Discipulos de primatu contentionem dirimentis, jam Filios Zebedæi eamdem ob causam arguentis definitiva sententia, prohibito, reprobato, condemnato. Neque dicas: At Religiosi docti & probi ambiunt interdum dignitates? Respondeo enim, prout in simili de usu Instrumentorum argenteorum respondit P. Concina: Quid inde? isti gravius peccant, qui sua doctrina & probitate gravius scandalum cæteris pusillis ingerunt. Audiatur in super D. Hieronymus quasi ad nostrum propositum ita scribens Rustico Monacho *Nequaquam considera, quid alii mali faciant, sed quid boni tu facere debeas, neque vero peccantium ducaris multitudine, & te pereuntium turba solicitet, ut facile cogites: Quid? ergo omnes peribunt &c.* Ep. Fam. l. 2. ep. 13.

PUNCTUM III.

De Meditatione Vefpertina.

Cujus modus perfolvendi & materia funt fubminiftrata Puncto 2. Exercitii Matutini.

Dicto poft Completorio vel etiam Matutino fubfequentis diei, tertia pars Cultus B. V. MARIÆ abfolvitur.

Conceptio Tua DEI Genitrix &c.

V. In Conceptione Tua &c.

R. Ora pro nobis Patrem, cujus &c.

Oremus

Protege Domine famulos Tuos fubfidiis pacis & Beatæ MARIÆ femper Virginis patrocinio confidentes, a cunctis hoftibus & periculis redde fecuros, Per Chriftum &c.

Sifuerit Dies Dominica vel infra Octavam SSS. Trinitatis, abfolvitur. Trifagium Sanctus &c.

Quæ concernunt Benedictionem Cœnæ aut ferotinæ habentur in Exercitio Meridiano.

EXERCITIUM NOCTURNUM

PUNCTUM I.

De Oratione Vocali & Difciplina.

ANtiph: Benedicta fit S. Creatrix, & Gubernatrix omnium, Sancta & Individua Trinitas, nunc & femper, & per infinita fæcula fæculorum. *temp. Pafch. additur* Alleluja.

V. Benedicamus Patrem, & Filium, cum fancto Spiritu.

R. Laudemus, & fuperexaltemus eum in fæcula.

Oremus

